FRAGMENTORVM M. TVLLII CICERONIS TOMI IIII.

Cum ANDR. PATRICII adnotationibus.



CVM PRIVILEGIO.

Venetiis, apud Iordanum Ziletum,
M. D. LXI.

ELENCHVS EORVM, QVAE TOMVS QVISQVE CONTINEAT.

TOM. I. CONTINET ORATIONES.

TOM. II. CONTINET
EPISTOLAS.

TOM. III. CONTINET
PHILOSOPHICA,

TOM. IIII. CONTINET

POEMATA.

AMPLISSIMO VIRO, PHILIPPO PADNEVIO, Episcopo Præmislien. & Cracouien. des. regnique Poloniæ Procancellario, patrono incomparabili,

Andr. Patricius S. P. D.

SINGVLARI quodam fato fieri existimo, Philippe Pontifex, ut tua dignitas, Ciceronisq. incolumitas, iisdem temporum uicissitudinibus contineri, iisdemque fortunæ momentis regi & administrari uideatur. Quàm diu enim tua dignitas, optimis omnibus artibus & studiis conciliata, superiorum temporũ iniuria latuit, latuerant multa quoque præclara & diuina M. Ciceronis monumenta, quorum partim titulos tantum, & inscriptiones, partim ne has quidem tenebamus, omnibus uetustatis quodam inuidioso situ & squalore obsoletis. Postea quàm autem am-

plitudo tua clarissimum quoddam honoris sui lumen semel efferre cœpit, ita omnia illa, quasi semen quoddam abditum, terræq. traditum, cœperunt de repente in lucem prodire, & enasci, ut deinceps cum tua dignitate nõ solum iam communia, sed etiam propemodum æqualia incrementa habere uiderentur. Etenim cum tu primum anno superiore, regni Procancellarius factus esses, collegerat in Italia Carolus Sigonius Mutinensis permulta eorum librorum fragmenta diligenter, collectaq. uulgo proposuerat, ad extinguendam aliqua ex parte sitim & cupiditatem hominũ, qui hæc iam tacitis mentibus requirere uidebantur. Idemque cum deinde paulo post Præmislien. Pontifex renuntiatus esses, mea quoque, eodem illo fato tuo stimulata excitataque cura, tantum in colligendis iisdem rebus elaborauit, ut ad ueterem illum Sigonii laborem atque industriã aliquis etiam diligentiæ meæ cumulus peculiaris accederet, qui non nulla ad ueterem

ueterem librorum illorum quasi sortem de lucro adiiceret. quæ dum perpolio, ad aliquam ingenii nostri opinionem atque famam, tu quidem uix dum Præmislien. Ecclesiæ admotus gubernaculis, amplioris rursus & tua uirtute dignioris Cracouien. nauis clauum in Ecclesia prehendere, diis hominibusq. uocantibus, necesse habuisti. Ego uero, præciso statim & interrupto laboris mei cursu in iis perpoliendis rebus, totum id, cuiusmodi est, publice uolui apparere; ut intelligatur, id quod toties iam loquimur, singulis tuis accessionibus, singulas quoque earum rerum accessiones quasi è regione respondere. Ac ego quidem quoties eius fati tui admirabilem quendam ordinem & progressum intueor, ipsiusq. rationem animo mecum & mente perquirere studeo, nihil magis decuisse existimo, quàm ut in insigni qualibet & manifesta dignitatis tuæ amplificatione, insignis quoque & manifesta illis rebus accessio fieret, quæ tibi

tibi inter paucos nostrorum hominum ad omnem accessionem tuam, originem causamq. præbuerunt. Sicut igitur in Rom. repub. quorum auspiciis res bene gesta fuit, ad eos, etiamsi forte prœlio ipsi non interfuissent, omnẽ triumphi honorem deferri solitum fuisse, accepimus: ita, cum fortuna quadam ac felicitate tua, ut ego quidem iudico, renascantur hæ nobis intermortuæ iam pridem Ciceronis reliquiæ, par esse putaui, hoc totũ, quidquid est, nostro labore aut erutum prorsus a fundamentis, aut perpolitum certe quidem, in tuo potissimum nomine emittere. Iam nunc autem illud quodammodo mente præcipiens auguror fore, ut, quandoquidem tu Deo gratia ad hæc iam summa, & prorsus uirtuti tuæ debita præmia perueneris, inter cætera præclara quietis & otii istius tui monumenta, etiam hos, quos modo concisos edimus, M. Ciceronis libros, uel plenos omnino & integros, uel multo certe, quàm nunc sunt, auctiores, ex bibliothecæ tuæ scriniis capiamus. Neque enim ego in hoc genere fortunam solum & felicitatem tuam admiror, sed etiam laudo industriam, ac diligentiam, qui, cum te adhuc resp. uacare iis rebus pateretur, nec ita, uti nunc, totum tuum animum ipsa occuparet, pleraque per te ipse collegeris, quæ ad uindicanda ab interitu & obliuione immortalia hæc scripta magnopere pertinere uiderentur. quæ si unquam in lucem protuleris, sicut certe, postea quàm in exoptatum hunc iam tranquillitatis portum deueneris, proferre poteris, non uereor ne mea me diuinatio fefellisse uideatur. Neque autem non summo consilio tu quidem in his quoque colligendis, & reficiendis naufragiis desudasti. Vidisti enim profecto, quod uidendum fuit, latere in his frustis & fragmentis diuitias Rom. linguæ: in qua tu, in illa adhuc ætate, sic excellebas, ut, in ipsa illa urbe hospes cum esses, in qua hæc olim nascebantur, ple rosque

roſque in admirationem, & amorem
tui adduceres; Paulum autem Iouium,
qui tum in eo ſtudio principatum fere
illic obtinebat, etiam familiariter de-
uincires. Quæ res etiam apud nos non
ſolum pueritiam tuam Petro Tomitio,
& deinde adoleſcentiam Ioanni Choi-
nio, ſummis uiris, & maximis honori-
bus præditis, commendauit, ſed etiam
omnem tuam ætatem ita Regibus ip-
ſis charam reddidit, ut te grauiſſimis
primum & difficillimis perfunctum le-
gationibus, tandem regni ſui Procan-
cellarium, id autem eſt, totius ſui im-
perii & auctoritatis adminiſtrum, ac
ueluti moderatorem, Rex hic Sigiſ-
mundus Auguſtus eſſe uoluerit, dein-
de uero Præmiſlienſi primum, nuncq.
adeo, ut dixi, Cracouienſi Epiſcopatu
honeſtauerit. Quibus in muneribus
omnibus quam fidem præſtes reipub.
quam regi ipſi obſeruantiam, quem
amorem ciuibus bene meritis, quod
denique ſtudium adferas ad ſalutem
& dignitatem Eccleſiarum, utinam mi
hi

hi uiam narrandi non præcluſiſſes ſin-
gularibus tuis erga me beneficiis: qui
bus effeciſti, ut ueriſſima mea uirtutis
tuæ prædicatio hoc minus pōderis ha-
beat, quòd ab homine ingentibus tuis
beneficiis obligatiſſimo proficiſcatur.
Quo ſane libentius etiam ad te hæc
mitto: ut, cum meo de uirtutibus tuis
ſermoni auctoritatem omnem mirifi-
ca tua gratia & liberalitate ipſe detra-
xeris, aliquod ſaltem interea teſtimo-
nium habere poſſis gratiſſimæ meæ, &
tibi debitæ uoluntatis. Bene uale.
Dat. Vilnæ, in Lituania, die XX. Iunii,
anno Chriſti nati M. D. LX.

AVCTORES, EX QVIBVS HAEC FRAGMENTA COLLECTA FVERVNT.

Aquila.	Isidorus.
Asconius.	Lactantius.
Augustinus.	Macrobius.
Boethus.	Marcellinus.
Carisius.	Nonius.
Cicero.	Plinius.
Columella.	Priscianus.
Diomedes.	Quintilianus.
Donatus.	Seneca.
Festus.	Seruius.
Fortunatianus.	Suetonius.
Gellius.	Valerius.
Hieronymus.	Vlpianus.

TOM.

M. TVLLII CICERONIS FRAGMENTORVM

TOMVS PRIMVS,

Qui continet orationes.

*

PRO M. TVLLIO ORATIO I.

Deest principium.

HOC *iudicium sic expectatur, ut non unæ rei statui, sed omnibus constitui putetur.* Priscianus.

*

Fundum habet in agro Tigurino M. Tullius paternum. Quint. l. 4. c. 2.

*

Quis hoc statuit unquam, aut cui concedi sine summo omnium periculo potest, ut eum iure potuerit occidere, à quo, metuisse se dicat, ne ipse posterius occideretur? Quint. l. 5. c. refutatione.

Si quis furem occiderit, iniuria occiderit, quamobrem? quia ius constitutum nullum est. quid si se telo defenderit? [haud] iniuria. quid ita? quia constitutum est. Quint.

Cætera desunt.

Pro L. Vareno orat. II.

Deest principium.

Prisc. C. ANCHARIVS *Rufus fuit è municipio Fulginate.*

*

Prisc. * *in præfectura Fulginate.*

*

Quint. l. 5. c. 13. *Cum iter per agros, & loca sola faceret, cum Populeno, in familiam Ancharianam incidisse dixerunt: deinde Populenum occisum esse: illico Varenum uinctum, adseruatum, dum hic ostenderet, quid de eo fieri uellet.*

*

Quint. l. 7. c. 1. *lege de sicarijs commisit L. Varenus. Nam C. Varenum occidendo, et Cnæum uulnerando, et Salarium item occidendo cadit.*

*

Quint. l. 4. c. 1. *Tum C. Varenus is, qui à familia Anchariana occisus est. Hoc, quæso, iudices diligenter attendite.*

*

Prisc. l. 3. * *L. ille Septimius diceret. etenim est ad*
Quint. l. 8. c. 3. *L. Crassi eloquentiam grauis, et uehemens, et uolubilis. Erucius hic noster Antoniaster est.*

*

Prisc. l. 12. *Ea cædes si potissimum crimini datur, detur ei', cuia interfuit, non ei, cuia nihil interfuit.*

Optio

*

Optio uobis datur, utrum uelitis, casu illo itinere Varenum esse usum, an huius persuasu, & inductu. Quint. l. 5. c. 10.

Deum fidem. PRISC.

Desunt reliqua.

Pro P. Oppio. Orat. III.

Deest principium.

VTRVM *cum Cottam appetisset, aut cum ipse sese conaretur occidere, telum ei è manibus ereptum est?* Quint. l. 5. c. 10.

*

Quos educere inuitos in prouinciam non potuit, eos inuitos retinere qui potuit? Quint. ib.

*

At enim uerisimile non est, tantum scelus M. Cottam esse cõmentum. quid? hoc uerisimile est, tantum scelus Oppium esse conatum? Quint. l. 11 c. 1.

*

Etenim multum posse ad salutem alterius, honori multis: parum potuisse ad exitium, probro nemini fuit. MARCEL.

*

O amorem mirum: ò beneuolentiam singularẽ. QVINT.

Cætera desiderantur.

Pro M. Fundanio. Orat. IIII.

Deest principium.

Prisc. l. 7. NON *modo hoc à Iulio Annale, sed uix me hercule à Q. Mutone factum probari potest.*

*

Prisc. 16. *Esset'ne id, quod Meno nunciasset.*

*

SERVIVS. *Arcades se proselenos esse asserunt.*

*

Plura desunt.

Pro C. Cornelio I. Orat. V.

Prisc. l. 6. VT AB *Ioue optimo maximo, cæterisq. dijs deabusq. omnibus opem & auxiliũ petamus.*

*

Prisc. l. 2. * *ex promulgatione trinundinum dies ad ferendum, potestasq. uenisset.*

* uersu à primo circiter CLXI.

Asc. *Postulatur apud me prætorem primum de pecunijs repetundis. prospectat uidelicet Cominius, quid agatur. uidelicet homines fœneos, in medium ad tentandum periculum proiectos.*

Asc. *Quid Metellus summa nobilitate, ac uirtute, cum bis iurasset, semel priuatim, priuatum parte publice legis deiectus est ratione, an ui, an ueri suspicionem animi tollit. C. Curionis uirtus,*

ac

ac dignitas, & Q. Metelli adolescentia ad summam laudem omnibus rebus ornata.

*

Legem, inquit, de libertinorum suffragijs Cornelius cum Manilio dedit. quid est hoc? dedit, an tulit, an rogauit, an hortatus est? nam tulisse ridiculum est. quasi legem aliquam aut ad scribendum difficilem, aut ad excogitandum reconditam. quæ lex paucis his annis non modo scripta, sed etiam lata esset. Asc.

*

In quo cum multa reprehensa sint, tum in primis celeritas actionis. Asc.

*

Petiuit tamen à me prætore maxima contestatione, ut causam Manilij defenderem. Asc.

* uersu à primo DCCCCL.

Nam cum is tribunus pl. duas leges tulisset in eo magistratu, unam perniciosam, alteram egregiam, quod summa rep. non hæsit, id ab illo ipso tribuno abiectum est. bonum autem, quod summa rep. manet, id extra ordinem fuit. Asc.

*

Alijs ille in illum furorem magnis hominibus auctoribus impulsus est, qui aliquod institui exẽplum disturbandorum iudiciorum perniciosissimum, temporibus suis accommodatissimum, meis alienissimum rationibus cupierunt. Asc.

* Ver. circiter.

Asc. *Possum dicere hominem summa prudẽtia clarum C. Cottam de suis legibus abrogandis ipsum ad senatum retulisse. Possum & eiusdem Cottæ legem de iudicijs priuatis anno, postquam lata sit, à fratre eius (abrogatam) legem Liciniam & Muciam de ciuibus regundis uideo constare inter omnes. quam duo consules omnium, quos uidimus, sapientissimi tulissent, non modo inutilem, sed perniciosam reip. fuisse.*

*

Asc. *Quatuor omnino genera sunt, iudices, in quibus per senatum more maiorum statuatur aliquid de legibus. unum est eiusmodi, placere legem abrogari, ut Q. Cæcilio, M. Iunio cos. quæ leges rem militarem impedirent, ut abrogarentur. alterum, quæ lex lata esse dicatur, ea non uideri populum teneri, ut L. Marcio, Sex. Iulio cos. de legibus Liuijs. tertium est de legum derogationibus, quo de genere persæpe S. C. fiunt, ut nuper de ipsa lege Calpurnia, quæ derogaretur.*

*

Asc. *P. Africanus ille superior, ut dicitur, non solum à sapientissimis hominibus, qui tum erant, uerum etiã à se ipso sæpe accusatus est, quòd cum consul esset cũ Ti. Longo, passus esset tũ primũ à populari consessu senatoria subsellia separari.*

* Circa

* Circa medium.

*Est utique ius Vetandi, cum ea feratur, quandiu ferundi transferuntur id est lex * dum priuati dicunt, dum * dum sitella defertur, dum æquantur sortes, dum sortitio fit, et si qua sunt huius generis alia.* Asc.

* paulo post.

Vnum tamen, quod hoc ipso tribuno pl. factum est, prætermittendum non uidetur. neque enim maius est, legere codicem, cum intercedatur, quàm sitellam ipsam cum ipso intercessore deferre, nec grauius incipere ferre, quàm perferre, nec uehementius ostendere se laturum, inuito collega, quàm ipsi collegæ magistratum abrogare, nec criminosius tribus ad legem accipiendam, quàm ad collegam reddendum priuatum introuocare. quæ uir fortis, huius collega, A. Gabinius in re optima fecit omnia, neque, cum salutem populo R. atque omnibus gentibus finem diuturnæ captiuitatis, turpitudinis, et seruitutis afferret, passus est, plus unius collegæ sui, quàm uniuersæ ciuitatis uocem ualere, et uoluntatem. Asc.

*

Codicem attigit. QVINT.

*

At enim de corrigenda lege retulerunt. Asc.

 Idem,

*

Asc. *Idem, nisi hæc ipsa lex, quam C. Cornelius tulit, obstitisset, decreuissem id, quod palam iam isti defensores iudiciorum pugnauerunt, senatui non placere, id iudicium de Syllæ bonis fieri. quam ego causam longe aliter Prætor in concione defendi, cum id dicerem, quod ijdem iudices postea statuerunt, iudicium æquiore tempore fieri oportere, antea uero quàm multarum rerum iudicia sublata sint, et quia scitis, prætereo, et ne quem in iudicium oratio mea reuocare uideatur.*

* *paulo post.*

Asc. *Non Cn. Dolabella C. Volcatium, honestissimum uirum, communi et quotidiano iure priuasset, non denique homo illorum et uita, et prudentia longe dissimilis, sed tamen nimis in gratificando iure liber L. Sisenna bonorum Cn. Cornelij possessionem ex edicto suo P. Scipioni adolescenti summa nobilitate, eximia uirtute prædito, dedisset. Quare cum ambitum populus Rom. uideret, et cum à tribunis pl. doceretur, nisi pœna accessisset in diuisores, extingui nullo modo posse, legem hanc Cornelij flagitabat, illam, quæ ex S. C. ferebatur, repudiabat.*

* *paulo post.*

Asc. *Vt spectaculum illud duorum designatorum Consulum calamitate, re, & tempore salubre, ac necessarium, genere, & exemplo miserum, ac funestum uideremus.*

*

Quid ego nunc argumentis tibi respondeam, posse fieri, ut alius aliquis Cornelius sit, qui habeat Philerotem res [nota est] uulgare nomen esse Philerotis, Cornelios uero ita multos, ut iam etiam collegium constitutum sit. Asc.

*

At enim extremi, ac difficillimi temporis uocem illam, C. Corneli, consulem mittere coegisti, qui remp. saluam esse uellent, ut ad legem accipiendam adessent. Asc.

*

Plebem ex Maniliana offensione uictam, & domitam esse dicit. ante uestros annos propter illius tribuni pl. temeritatem posse adduci, ut omnino ne illius potestate abalienemur. Asc. *

Qui restituerunt eam potestatẽ, alterum nihil unum posse contra multos, alterũ longe abesse.

*

Tanta igitur in illis uirtus fuit, ut anno XVI. post reges exactos, propter nimiam dominationẽ potentium secederent, leges sacratas ipsi sibi restituerent, duos tribunos crearent, montem illum trans Anienem, qui hodie mons Sacer nominatur, in quo armati consederant, æternæ memoriæ causa consecrarent, itaq. auspicato Asc. Prisc. l. 6.

cato postero anno x. tribuni pl. comitijs curiatis creati sunt.

*

Asc. *Tum, interposita fide per tres legatos amplissimos uiros, Romam armati reuer[terunt] in Auentino consederunt. inde armati in Capitolium uenerunt. decem tribunos pl. per pontificem, quòd magistratus nullus erat, creauerunt. Etiam hæc recentiora prætereo, ponam principium iustissimæ libertatis Cassiam, qua lege suffragiorum ius, potestasq. conualuit, alteram Cassiam, quæ populi iudicia firmauit.*

*

Asc. *Qui non modo cum Sylla, uerum etiam, illo mortuo, semper hoc per se summis opibus retinendum putauerunt, inimicissimi C. Cottæ fuerunt, quòd is consul paulum tribunis pl. non potestatis, sed dignitatis addidit.*

*

Asc. *Quandiu quidem hoc animo erga nos illa plebs erit, quo se ostendit esse, cum legem Aureliam, cum Rosciam non modo accepit, sed etiam efflagitauit.*

*

Asc. *Memoria teneo, cum primum senatores cum equitibus Romanis lege Plotia iudicarent, hominem dijs, ac nobilitati perinuisum Cn. Pompeium, causam lege Varia de maiestate dixisse.*

Quæ

*

Quæ intermissa complureis annos. Prisc. l. 8.

*

Nũ alicui gratificabatur, aut homini, aut ordini? Prisc. ibi.

*

Coeptum igitur per eos, qui agi uolebant, desitum est per hunc, qui decessit. Prisc. l. 10.

*

* *circuitis rostris eijcerentur lapidibus homines.* Prisc. l. 8.

*

* *refertum tribunicijs legibus, exhaustum à quibus sit, ipsi sciunt.* Aqu.

*

* *qui eloquentia cæteris antecellit.* PRISC.

Cætera desunt.

Pro C. Cornelio II. Orat. VI.

Deest initium.

Pugnem aperte contra nobilissimorum hominum uoluntates, studia, consilia, cogitationesq. eorum aperiam? Asc.

*

O callidos homines, ò rem excogitatam, ò ingenia metuenda. testes dare uolumus. quem quæso nostrum fefellit, ita uos esse facturos? Cicer. orat.

Num

*

Asc. *Num in eo, qui sint hi testes, hæsitatis? ego uobis edam duos. reliqui sunt de consularibus, inimici tribuniciæ potestatis. pauci prætereà assentatores eorum, atque asseclæ subsequuntur.*

*

Asc. *Sed si familiariter ex Q. Catulo, sapientissimo uiro, atque humanissimo uelim quærere, utrius tandem tibi tribunatus minus probari potest, C. Cornelij, an, non dicam P. Sulpicij, non L. Saturnini, non C. Gracchi, non Tiberij, neminem, quem isti seditiosum existimant, nominabo, sed auunculi tui Q. Catuli, clarissimi, patriæq. amantissimi uiri, quid mihi tandem responsurum putatis?*

*

* post xx. uersus à præcedenti.

Asc. *Quid? auunculus tuus, clarissimus uir, clarissimo patre, auo, maioribus, credo, silentio, fauente nobilitate, nullo intercessore comparato, populo R. dedit, & potentissimorum hominum collegijs eripuit cooptandorum sacerdotum potestatem? Quid? idem Domitius M. Silanum, consularem hominem, quemadmodum tribunus pl. uexauit?*

*

Asc. *Hæc est controuersia eiusmodi, ut mihi trib. pl. Cn. Domitius, Catulo M. Terpolius contemptissimum nomen eiectum esse ex ijs, qui tribuni pl. fuerunt.*

*

Nam neque me diuitiæ mouent, quibus omnes Africanos, & Lælios multi uenalicij, mercatoresque, superarunt, neque uestis aut cælatum aurum, et argentum, quo nostros ueteres Marcellos, Maximosq. multi eunuchi è Syria, Aegyptoq. uicerunt. neque uero mouent me ornamenta ista uillarum, quibus L. Paullum, & Mummium, qui rebus his urbem, Italiamq. omnem referserunt, ab aliquo uideo perfacile Deliaco, aut Syro potuisse superari. Cic. orat. Quint. l. 9. c. 4.

*

Quis tam abundans copijs. Prisc. l. 18.

Extrema desunt.

Contra C. Antonium & L. Catilinam competitores in toga candida. Orat. VII.

Deest principium.

Omnia ex Asconio.

DICO P. C. *superiore nocte cuiusdam hominis nobilis, & ualde in hoc largitionis quæstu noti, & cogniti, domum Catilinam & Antonium cum sequestribus suis conuenisse.*

Quem

*

Quem enim aut amicum habere potest is, qui tot ciues trucidauit, aut clientem, qui in sua ciuitate cum peregrino negauit se iudicio æquo certare posse?

*

L Ne [*Nec*] *se iam tum respexit, cum grauissimis uestris decretis absens notatus est.*

*

In iudicijs quanta uis esset, didicit, cum est absolutus: si aut illud iudicium, aut illa absolutio nominanda est.

*

Populum uero, cum inspectante populo collum secuit hominis maxime popularis, quanti faceret, ostendit.

*

Me, qua amentia inductus est, ut contemneret, constituere non possum. utrum æquo animo laturum putauit? an in suo familiarissimo non uiderat, me ne aliorum quidem iniurias mediocriter posse ferre?

*

Alter pecore omni uendito, & saltibus prope addictis, pastores retinet, ex quibus ait, se, cum uelit, subito fugitiuorum bellum excitaturum. alter induxit eum, quem potuit, ut repente gladiatores populo non debitos polliceretur, quos ipse

ipse consularis candidatus perspexit, & legit, & emit. præsente populo Romano factum est.

*

Quamobrem augere etiam mercedes si uultis, Q. Mucium peruerti legem impedire, ut cœpit senten. cos. sed ego ea lege contentus sum, qua duos consules designatos uno tempore damnari uidimus.

*

Te tamen, Q. Muci, tam male de rep. existimare, moleste fero, qui hesterno die me esse dignum consulatu negabas. quid? populus Romanus minus diligenter scit sibi constituere defensorem, quàm tu tibi? qui, cum te furti L. Calenus ageret, me potissimum fortunarum tuarum patronum esse uoluisti. & cuius tu consilium in tua turpissima causa delegisti, hunc honestissimarum rerum defensorem populus R. auctore te repudiare potest? nisi forte hoc dicturus es, quo tempore à L. Caleno furti delatus sis, eo tempore in me tibi parum auxilij esse uidisse.

*

Atque ut istum omittam in exercitu Syllano prædonem, in introitu gladiatorem, in uictoria quadrigarium.

*

Te uero Catilina consulatum sperare, aut cogitare

re non prodigium, atque portentum est? à quibus enim petis? à principibus ciuitatis? qui tibi, cum L. Volcatius consul in consilio fuisset, ne petendi quidem potestatem esse uoluerunt? à senatoribus? qui te auctoritate sua, spoliatum ornamentis omnibus, uinctum pene Africanis oratoribus tradiderunt? ab equestri ordine? quem trucidasti? à plebe? cui spectaculum eiusmodi tua crudelitas præbuit, ut nemo sine luctu aspicere, sine gemitu recordari posset.

*

ASCON. Quod caput etiam tum plenum animæ & spiritus, ad Syllam usque ad Taniculo ad ædem Apollinis, manibus ipse suis detulit.

*

Quid? tu potes in defensione tua dicere, quod illi ne dixerunt? quid tibi dicere non licebit.

*

Denique illi negare potuerunt, & negauerunt, tu tibi ne inficiandi quidem impudẽtiæ locum reliquisti. quare præclara dicentur iudicia tulisse, si qui inficiantem Luscium condemnarunt, Catilinam absoluerint confitentem.

*

Is ergo negat ignarum esse, cum etiam illi, imperitos se homines esse, & si quem etiam interfecissent, imperatori, ac dictatori paruisse dicerent,

cerent, ac negare quoque posse: Catilinam uero inficiari non posse.

*

Hanc tu habes dignitatem, qua fretus me contemnis, & despicis? an eam quam reliqua uita es consecutus? cum ita uixisti, ut non esset locus tam sanctus, quo non aduentus tuus, etiam cum culpa nulla subesset, crimen afferret.

*

Cum deprehendebare in adulterijs, cum deprehendebas adulteros ipse, cum ex eodem stupro tibi, & uxorem & filiam inuenisti.

*

* stupris se omnibus, ac flagitijs contaminauit, cæde nefaria cruentauit, diripuit socios, leges, quæstiones, iudicia uiolauit.

*

Quid ego, ut uiolaueris prouinciam, prædicem? cuncto populo R. clamante ac resistente? nam ut te illic gesseris, non audeo dicere, quoniam absolutus es. mentitos esse equites R. falsas fuisse tabellas honestissimæ ciuitatis existimo. mentitum Q. Metellum Pium, mentitam Africam, uidisse puto nescio quid illos iudices, qui te innocentem iudicarunt. O miser, qui non sentias, illo iudicio te non absolutum, uerum ad aliquod seuerius iudicium, ac maius supplicium reseruatum.

Præ-

*

Prætereo illum nefarium conatum tuum, & pene acerbum, & luctuosum populo R. diem, cum Cn. Pisone socio, neque alio nemine cædem optimatum facere uoluisti.

*

An oblitus es, te ex me, cum præturam peteremus, petisse, ut tibi primum locum concederem? quod cum sæpius ageres, & impudentius à me contenderes, meministi, me tibi respondere, impudenter te facere, qui id à me peteres, quod auunculus nunquam impetrasset? Nescis me prætorem primum esse factum, te concessione competitorum, et collatione centuriarum, & meo maxime beneficio, è postremo in tertium locum esse subiectum?

*

Qui posteaquam illo, ut conati erant, Hispaniensi pugiunculo neruos incidere ciuium R. non potuerunt, duas uno tempore conantur in remp. sicas distringere.

*

Hunc uos scitote Licinium gladiatorem iam immisisse cupidum Catilinæ iudices, Quintumq. Curium, hominem quæstorium.

Extremum deest.

Pro

Pro Q. Gallio, Orat. III.

Deest principium.

* *ut clamor, ut conuicium, ut symphoniæ cantus, uidebar mihi uidere alios intrantes, alios autem exeuntes, partim ex uino uacillantes, partim hesterna potatione oscitantes, uersabatur inter hos Gallius unguentis oblitus, redimitus coronis, humus erat immunda. lutulenta uino, coronis languidulis, & spinis cooperta piscium.* Aquil. & Quint. l. 8. c. 3.

*

Loquor enim quæ sum ipse nuper expertus unus. Quidam poeta nominatus, homo perliteratus, cuius sunt illa colloquia poetarum, ac philosophorum, cum facit Euripidem & Menandrum inter se, & in alio loco Socratem atque Epicurum disserentes; quorum ætates non annis, sed sæculis scimus esse disiunctas, quantos is plausus, & clamores mouet? multos enim condiscipulos habet in theatro, qui simul literas non didicerunt. Hier. uit. cleric.

*

An ista, si uera essent, sic à te dicerentur? QVINT.

*

Tu istuc M. Callidi nisi fingeres, sic ageres? præsertim cum ista eloquentia alienorum homi- Cic. Brut.

C num

num pericula defendere acerrime soleas, tuum negligeres? ubi dolor? ubi ardor animi? qui etiam ex infantium ingenijs elicere uoces, & querelas solet. nulla perturbatio animi, nulla corporis, frons non percussa, non femur, pedis (quod minimum est) nulla supplosio. itaque (tantum abfuit, ut inflammares nostros animos) somnum isto loco uix tenebamus.

*

Non. logi. *Ego te certo scio, omnes logos, qui ludis dicti sunt, animaduertisse.*

*

Caris. * *poematorum.*

Cætera desunt.

De proscriptorum liberis, Orat. IX.

Desunt cætera præter fragmentum, quod sequitur.

Quint. l. 11 ca. 1. QVID *enim crudelius, quàm homines honestis parentibus ac maioribus natos à rep. submoueri: sed ita legibus Syllæ continetur status ciuitatis, ut, his solutis, stare ipsa non possit.*

Contra concionem Q. Metelli, Orat. X.

Deest principium.

SIC *enim, ut opinor, insequar fugientem, quoniam congredi non licet cum resistente.* Fortun.

*

* *permulsa, atque recreata est.* Prisc. l. 9.

*

* *nisi eorum exitio non requieturam.* Prisc. l. 18.

*

Ascendi in concionem, concursus est populi factus. Gell. l. 18 c. 7.

*

Qui iudicabantur, eos uocari, custodiri, ad senatum adduci iussi: in senatu sunt positi. Quint. l. 9. c. 3.

Reliqua desunt.

De consulatu suo, Orat. XI.

*

QVORVM *luxuries fortunata censa peperit.* NONIVS.

*

In Clodium & Curionem, Orat. XII.

Desunt multa, nec, quæ restant, digeri possunt in ullum ordinem.

TV *uero festiuus, tu elegans, tu solus urbanus, quem decet muliebris ornatus; quē incessus psal* Non.

triæ, qui leuare uultum, mollire uocē poteſt.

*

Non. Longus. Speculum. *Sed credo, poſtquam tibi ſpeculum allatum eſt, longe te à pulchris abeſſe ſenſiſti.*

*

Non. *Ac uide an facile tu fieri potueris, cum is factus non ſit, cui tu conceſſiſti.*

*

Non. Calantica. *Tu'ne, cum uincirentur pedes faſceis, cum calanticam capiti accommodares, cum ſtrophio accurate præcingerere.*

*

Quint. l. 8. c. 6. *Integritas tua te purgauit, mihi crede, pudor eripuit, uita anteacta ſeruauit.*

Quint. l. 9. c. 2. * *quibus iſte, qui omnia ſacrificia noſſet, facile à ſe deos placari poſſe arbitrabatur.*

*

QVINT. *Quo ex iudicio uelut ex incendio nudus effugit.*

*

CICERO. *Erras Clodi: non te iudices urbi, ſed carceri reſeruarunt, neque retinere in ciuitate, ſed exilio priuare uoluerunt. Quamobrem Patres conſcripti erigite animos, retinete ueſtram dignitatem: manet illa in rep. bonorum conſenſio; dolor acceſſit bonis uiris, uirtus non eſt imminuta: nihil eſt damni factum noui, ſed quod erat, inuentum eſt in unius hominis perditi iudicio: plures ſimiles reperti ſunt.*

De

De rege Ptolemæo, Orat. XIII.

Niſi unicum id fragmentum eſſet, uix ipſam orationis inſcriptionem teneremus.

DIFFICILIS *ratio belli gerendi, at plena fidei, plena pietatis.* Aqu.

Pro M. Aemilio Scauro, Orat. XIIII.

MAXIME *fuit optandum M. Scauro, iudices, ut nullo ſuſcepto cuiuſquam odio, ſine offenſione ac moleſtia.* Fortun. Auguſt. in Rhet.

* circa uerſum à primo XL.

Subit etiam populi iudicium, inquirente Cn. Domitio tribuno pl. Reus factus eſt à Q. Seruilio Cæpione lege Seruilia, cum iudicia penes equeſtrem ordinem eſſent, & P. Rutilio damnato nemo tam innocens uideretur, ut non timeret illa. Ab eodem etiam lege Varia cuſtos ille reip. proditionis eſt in crimen uocatus, uexatus à Q. Vario trib. pl. eſt, nō multo ante. Aſc.

*

Non enim tantum admiratus ſum ego illum uirū, ſicut omnes, ſed etiam præcipue dilexi. primus enim me, flagrantē ſtudio laudis, in ſpem Aſc.

 impulit,

impulit, posse uirtutem sine præsidio fortunæ, quò cõtendisset, labore, & cõstantia peruenire.

*

Asc. Si me hercle, iudices, pro L. Tubulo dicerem, quem unum ex omni memoria sceleratissimum & audacissimum fuisse accepimus, tamen non timerem, uenenum hospiti, aut conuiuæ si diceretur cœnanti ab illo datum, cui neque hæres, neque iratus fuisset.

* circa tertiam partem à primo.

Asc. Sic inquam se iudices res habet, neque hoc à me nouum disputatur, sed quæsitum ab alijs est.

*

Asc. Illa audiuimus, hoc uero meminimus, ac pene uidimus, eiusdem stirpis, & nominis P. Crassum, ne in manus incideret inimicorum, se ipsum interemisse. Ac neque illius Crassi factũ superioris ijsdem honoribus usus, qui fortissimus in bellis fuisset, M. Aquillius potuit imitari.

* paulo post.

Asc. Quid uero? alterum Crassum temporibus eisdem, num aut clarissimi uiri Iulij, aut summo ingenio præditus M. Antonius potuit imitari?

*

Prisc. l. 6. Cum dare nollet Aris, clam ex Sardinia est fugere coactus.

*

Prisc. Arinis uxorem pellicatus dolo concitatam.

* Circa

* Circa medium.

Neque uero hæc ipsa quotidiana res Ap. Claudium, illa humanitate, et sapientia præditum, per se ipsa mouisset, nisi hunc Claudij fratris sui competitorem fore putasset. qui siue patricius, siue plebeius esset, (nondum enim certum constitutum erat) cum illo sibi contentionem fore putabat. Asc.

*

Quem purpura regalis non commouit, eum Sardorum mastrucca tentauit? Isid. l. 19. c. 3.

*

Vos quoque de familia nobili cum auctoritate orbis terrarum sentire debetis. MARCEL.

* post duas p artes orationis.

Nam cum ex multis unus ei restaret Dolabella paternus inimicus, qui cum Q. Cæpione propinquo suo contra Scaurum patrem suum obsignauerat stateras, eas sibi inimicitias non susceptas, sed relatas. Asc.

* post tres partes orationis.

Præsertim cum propinquitas, & celebritas loci suspicionem desidiæ tollat, aut cupiditatis. Asc.

*

Ego porro, qui Albanas habeo columnas, clitellis eas apportaui. Asc.

*

Domus tibi deerat, at habebas. pecunia supera- Quin. l. 5. c. 13.

 bat,

bat, at egebas. Incurristi amens in columnas, in alienos insanus insanisti. depressam, cæcam, iacentem domum pluris, quàm te, & quàm fortunas tuas æstimasti.

*

Seru. 1. Georgic. * *redimunt se ea parte corporis, propter quam maxime expetuntur.*

*

* *ab ipsa stiua mecum homines loquebantur.*

*

Asc. *Hæc cum tu effugere non potuisses, contendes tamen, & postulabis, ut M. Aemilius cum sua dignitate omni, cum patris memoria, cum aui gloria, sordidissimæ, lenissimæ, uanissimæ genti, ac prope dicam pellitis testibus condonetur.*

* uersu à nouissimo CLX.

Asc. *Vndique mihi suppeditat, quod pro M. Scauro dicam, quocunque non modo mens, uerum etiam oculi inciderint. curia illa de grauissimo principatu patris fortissimoq. testatur. L. ipse Metellus, auus huius, sanctissimos deos illo constituisse in templo uidetur, in uestro conspectu iudices, ut salutem à uobis nepotis sui deprecarentur.*

*

CARISIVS * *uniuerse.* *Deest extremum.*

*

Pro

Pro A. Gabinio, Orat. XV.

Desunt cætera, propter hoc.

EGO *cum omnes amicitias tuẽdas semper putaui summa religione, & fide, tum eas maxime, quæ essent ex inimicitijs reuocatæ in gratiam: propterea quòd integris amicitijs officium prætermissum, imprudentiæ, uel (ut grauius interpretemur) negligentiæ excusatione defenditur: post reditum in gratiam, si quid est commissum, id non neglectum, sed uiolatum putatur, nec imprudentiæ, sed perfidiæ assignari solet.* Hier. Apol. aduers. Rufinum.

Ad Orat. pro P. Quintio.

*

* *Turpis occultatio sui.* VLPIAN.

*

Ad Orat. pro M. Fonteio.

*

GALLI *posthac dilutius potabunt, quod illi uenenum esse arbitrabantur.* Marcell. l. 15.

*

Mater tua, dum uixit, ludum, postquam mortua est, magistros habuit. Quint. l. 6. c. 4.

Frumenti

*

AQVILA. *Frumenti maximus numerus è Gallia, peditatus amplissimæ copiæ è Gallia, equites numero plurimi è Gallia.*

Cetera in ea, quæ inter reliquas rationes extat.

Ad Orat. de lege Agraria. x. Ian.

Deest initium.

Gell. l. 13. c. 24. PAEDVM, *manubias, sectionem, castra denique Cn. Pompeij, sedente Imperatore, x. uiri uendent.*

*

Gell. ib. * *ex præda, ex manubijs, ex auro coronario.*

*

Aqu. *Veniet igitur sub præcone tota Propontis, atque Hellespontus, addicetur communis ora Lyciorum, atque Cilicum, Mysia, & Phrygia item conditioni legiq. parebunt.*

*

Caris. * *imberba iuuentute.*

Cætera in ea, quæ extat in senatu habita.

Ad

Ad Orat. in L. Pisonem.

PROCH *dij immortales qui hic illuxit dies.* Quint. l. 9. c. 4.

* Diom. l. 2.

Quæ te bellua ex utero, non hominem fudit. Seruius.

*

Insuber quidam fuit, id est mercator, & præco, is cum Romam cum filia uenisset, adolescentem nobilem Cæsoninum, hominis fortissimi filium, ausus est appellare. filiam collocauit. Ascon.

*

* *Cum tibi tota cognatio in serraco aduehatur.* Quint. l. 8. c. 3.

* circa uersum à primo.

* *quod minimum in te specimen ingenij, ingenij autem? imo ingenui hominis ac liberi, qui colore ipso patriam aspernaris, oratione genus, moribus nomen.* ASCON.

circa uersum à primo LXXX.

Hoc non ad contemnendam Placentiam pertinet, unde se is ortum gloriari solet. neque enim hæc mea natura fert, nec municipij, præsertim de me optime meriti, dignitas patitur. Asc.

*

Hic cum ad Padum Placentiæ forte consedisset, paucis post annis in eam ciuitatem (nam tum erat ciuitas) ascendit. prius enim Gallus, Prisc.

dein

dein Gallicanus, extremo ſemiplacentinus haberi eſt cœptus.

* circa uerſum à primo.

Aſc. *Lautiorem pater tuus ſocerum, quàm C. Piſo in illo luctu, non ei filiam meam collocaui, quem ego, poteſtas cum omnium fuiſſet, unum potiſſimum delegiſſem.*

*

DIOMED. *Proxime Pompeium ſedebam.*

Ex commentariis lib. XIII.

*

Diomed. * *re uendita, iterum empta.*

*

M. TVLLII CICERONIS FRAGMENTORVM TOMVS SECVNDVS,

Qui continet epiſtolas.

AD M. TITINIVM EPISTOLA.

EQVIDEM *memoria teneo, pueris nobis primum latine docere cœpiſſe L. Plotium quendam: ad quem cum fieret concurſus, quòd ſtudioſiſſimus quiſque apud eum exerceretur, dolebam mihi idem non licere. continebar autem doctiſſimorum hominum auctoritate, qui exiſtimabant Græcis exercitationibus ali melius ingenia poſſe.* Suet. cl. Rhet.

Ad Cornelium Nepotem epiſtola lib. II.

*

ITAQVE *noſtri cum omnia, quæ dixiſſemus, dicta eſſent; quæ facete, & breuiter, & acute locuti eſſemus, ea proprio nomine appellari dicteria uoluerunt.* Macr. l. 2. c. 1. Satur.

*

Ad eundem ex libro incerto.

*

Prisc. l. 8. HOC *restiterat etiam, ut à te fictis aggrederer donis.*

*

MARCEL. *Neque enim quicquam aliud est felicitas, nisi honestarum rerum prosperitas: uel, ut alio modo definiam, Felicitas est fortuna, adiutrix consiliorum bonorum; quibus qui non utitur, felix nullo pacto esse potest. Ergo in perditis impijsq. consilijs, quibus Cæsar usus erat, nulla potuit esse felicitas: feliciorq. meo iudicio Camillus exulans, quàm temporibus ijsdem Manlius, etiamsi, id quod cupierat, regnare potuisset.*

Ad C. Cæsarem epist. lib. I.

M. Cicero C. Cæsari S.

Non. Dicare. BALBVM *quanti faciam, quamq. ei me totum dicauerim, ex ipso scies.*

*

Non. Consequi. Honor. *Tum cum ea, quæ es ab senatu summo cum honore consecutus.*

*

Non. Improbum. *Debes odisse improbitatem eius, quia impudentissimum nomen delegerit.*

Vt

*

Vt sciret maiore cura tuēda esse, quæ parta sunt. Non. Tueri.

Ad eundem epist. lib. II.

* *uel quòd locatio ipsa pretiosa.* Non. Locare.

*

Quod sapientes homines, ac boni putant. Non. Putare.

*

Sed ego quæ monumenti ratio sit, nomine ipso ad moneor, ad memoriam magis spectare debet posteritatis, quàm ad præsentis tēporis gratiā. Non. Monumentum.

Ad eundem epist. lib. III.

*

QVAE *si uideres, non de exercitu retinendo tueri, sed eo tradito, aut dimisso.* Non. Dimittere.

*

* *amici nonnulli te contemni, ac despici, ac pro nihilo haberi senatum uelint.* Non. Contemno.

Ad eundem ex lib. incerto.

IAM *amplitudinem, gloriamq. tuam magno mihi ornamēto fore existimo, quòd me leuas cura.* Non. Leuare.

Extrema uero nec quanta, nec qualia sunt, uerbis consequi possum. Non. Consequi.

Ad Cæſ. iuniorem epiſt. lib. I.

Cicero Cæſari iuniori S.

Omnia ex Nonio. Sagum. *Pridie non. Feb. cum ad te literas mane dediſſem, deſcendi ad forum togatus, cum reliqui conſulares ſagati uellent deſcendere.*

*

Aditus. * *& aut ad conſules, aut ad te, aut ad Brutum adiſſent, his fraudi ne eſſet, quòd cum Antonio fuiſſent.*

*

Sed hæc uiderimus, cũ legati reſponſa retulerint.

*

Vindicare. *Quaſi ſi me ad id beneficium accerſeres, quo per te me, una cum rep. in libertatẽ uindicaſſem.*

*

Accipere, Rogare. *Roga ipſum, quemadmodum ego eum Arimini acceperim.*

*

Cunctari. *Sed cito pœnituit, domum rediit, cæteri cunctabantur.*

*

Opinio. *Erat opinio bona de Planco, bona de Lepido.*

*

Cõparare. * *neminem tibi profecto hominem ex omnibus aut antepoſuiſſem unquam, aut etiam comparaſſem.*

Ex cæte-

*

Expedire. *Ex cæteris autem generibus tunc pecunia expedietur, cum legionibus uictricibus erunt, quæ ſpopondimus, perſoluenda.*

*

Confectum *In ſingulis tegulis impoſitis ſexcentis ſexcenties cõfici poſſe.*

*

Ducere. *Ne res duceretur, fecimus ut Hercules Antianus in alium locum transferretur.*

*

Inuoluere. *Sed quòd uideret nomine pacis bellũ inuolutũ fore.*

*

Ignoſcere a concedere. *Quod mihi & Philippo uacationem das, bis gaudeo. nam & præteritis ignoſcis, & concedis futura.*

*

Ferox. *Itaque uereor ne ferociorẽ eum faciant tua [tam] præclara iudicia telo.*

Ad eundem epiſt. lib. II.

*

Omnia ex Nonio. *Sed ita locutus inſulſe eſt, ut mirum ſenatus conuicium exceperit.*

*

In quo tua me prouocauit oratio, mea conſecuta eſt ſegnis.

*

Confectum *Bellum, ut opinio mea fert, [ex] conſenſu ciuitatis*

uitatis confectum iam haberemus.

✳

Constat. ✳ *cum constet Cæsarem Lupercis id uectigal dedisse, qui ante poterat id constare?*

✳

Adest Albæ nescio quis Clodius, quam cum restitui iussisset, Ancone cum eo deiectus est ex senatus consulto.

✳

Insolens. ✳ *insolens, arrogans, iactans.*

✳

Secundum. *Scriptum erat equestre prœliũ ualde secundum, in his potius aduersum.*

✳

Meret. *Quem perisse ita de rep. merentem consulem uehementer doleo.*

✳

Præstare. *Tu si meam fidem præstiteris, quod confido te esse facturum.*

✳

Spurcus. *Cum iter facerẽ Claternã tempestate spurcissima.*

✳

Locuples. *Nihil omnino certi, nec locupletem ad hoc auctorem habebamus.*

✳

Paludatus. *Antonius demens ante lucem paludatus.*

✳

Ad eundem epist. lib. III.

✳

ITAQVE *in eum palã uehementer est inuectus.* Non. Inuehi

✳

Ad eundem ex lib. incerto.

POSTHAC *quod uoles à me fieri, scribito. uincam opinionem tuam.* Non. opinio

✳

Promissa tua memoria teneas. Non. Promittere.

Ad C. Pansam epist. lib. I.

M. Cicero C. Pansæ.

DE *Antiocho fecisti humaniter, quem quidem ego semper dilexi, meq. ab eo diligi sensi.* Non. Humaniter. Prisc. l. 15.

✳

✳ *quorum erupit illa uox, de qua ex te primum quiddam inaudieram.* Non. Inaudire.

Ad eundem epist. lib. III.

NOS *Ventidianis rumoribus concalfecimus.* Non. Concalfacere.

✳

Ad A. Hirtium epist. lib. II.

*

Non. Error QVA *in re si mediocriter lapsus sum, defendas meum [id tolerabile erratum.*

*

Ad eundem epist. lib. V.

*

Non. Impertio. ET *quoniam, ut hoc tempus est, nihil habeo patriæ quod impertiam.*

Ad eundem epist. lib. IX.

*

Non. Interfici. DICIS *quasi istuc intereat nescio, nisi tamen* * *erat mihi iucundum seuerius, ne qui casum perimeret superioris.*

Ad eundem ex lib. incerto.

*

Non. Vetustiscere a ueterascere. CVM *enim nobilitas sit nihil aliud, quàm cognita uirtus, quis in eo, quem ueterascentem uidet ad gloriã, generis antiquitatẽ desideret?*

*

NONIVS. * *luta & limum aggerebant.*

Ad M. Brutum epist. lib. VII.

*

HIS *contraria, atque parata, ut esse solent, expertus sum.* Non. Experiri.

Ad eundem epist. lib. VIII.

*

ET *quod te tantum amat, ut uel me audeat prouocare.* Non. doct. indag.

*

Ad eundem ex lib. incerto.

Cicero Bruto. S.

QVVM *hæc scribebam, res existimabatur in extremum adducta discrimen: tristes enim de Bruto nostro literæ, nuncijq. adferebantur. me quidem non maxime conturbabant: his enim exercitibus ducibusq. quos habemus, nullo modo poteram diffidere. Neque assentiebar maiori parti hominum: fidem enim Consulum non condemnabam, quæ suspecta uehementer erat. Desiderabam nonnullis in rebus prudentiam, & celeritatem, qua si essent usi, iam pridem rem recuperassemus. Non enim ignoras, quanta momenta sint in rep. tempo-* Ex manuscripto à Germanis inuento.

rum; & quid interſit idem illud utrum ante, an poſt decernatur, ſuſcipiatur, agatur. Omnia quæ ſeuere decreta ſunt hoc tumultu, ſi au quo die dixi ſententiam, perfecta eſſent, & non in diem ex die dilata, aut quo ex tempore ſuſcepta ſunt ut agerentur, non tardata & procraſtinata, bellum iam nullum haberemus. Omnia Brute præſtiti reip. quæ præſtare debuit is, qui eſſet eo, quo ego ſum gradu, Senatus populiq. iudicio conlocatus: nec illa modo, quæ nimirum ſola ab homine ſunt poſtulanda, fidem, uigilantiam, patriæ charitatem. ea ſunt enim, quæ nemo eſt, qui non præſtare debeat. Ego autem ei, qui ſententiam dicat in principibus de rep. puto etiam prudentiam eſſe præſtandam. Nec me, quum mihi tantum ſumpſerim ut gubernacula reip. prenderem, minus putarim reprehendendum, ſi inutiliter aliquid Senatui ſuaſerim, quàm ſi infideliter. Acta quæ ſint, quæq. agantur, ſcio perſcribi ad te diligenter. Ex me autem illud eſt, quod te uelim habere cognitum, meum quidem animum in aciem eſſe, neque reſpectum ullum quærere, niſi me utilitas ciuitatis forte conuerterit. Maiores autem partes animi te, Caſſiumq. reſpiciunt. Quamobrem ita te para Brute, ut intelligas, aut, ſi hoc tempore bene res geſta ſit, tibi meliorem remp. eſſe faciendam

dam, aut, ſi quid offenſum ſit, per te eſſe eandem recuperandam.

Cicero Bruto S.

PLANCI *animum in Remp. egregium, legiones, auxilia, copias ex literis eius, quarum exemplum tibi miſſum arbitror, perſpicere potuiſti. Lepidi tui neceſſarij (qui ſecundum fratrem affines habet, quos oderit proximos) leuitatem & inconſtantiam, animumq. ſemper inimicum reip. iam credo tibi ex tuorũ literis eſſe perſpectum. nos expectatio ſolicitat, quæ eſt omnis iam in extremum adducta diſcrimen. eſt enim ſpes omnis in Bruto expediendo, de quo uehementer timebamus. Ego hic cum homine furioſo ſatis habeo negotij Seruilio, quem tuli diutius, quàm dignitas mea patiebatur; ſed tuli reip. cauſa, ne darem perditis ciuibus hominem parum ſanum illum quidem, ſed tamen nobilem, quò concurrerent: quod faciunt nihilominus; ſed eum alienandum à rep. non putabam. Finem feci eius ferendi; cœperat enim eſſe tanta inſolentia, ut neminẽ liberum duceret. In Planci uero cauſa exarſit incredibili dolore, mecumq. per biduum ita contendit, & à me ita fractus eſt, ut eum in perpetuum modeſtiorem ſperem fore. Atque in*

in hac contentione ipsa, quũ maxime res ageretur ad v. Id. April. literæ mihi in Senatu redditæ sunt à Lentulo nostro, de Cassio, de legionibus, de Syria: quas statim cum recitauissem, cecidit Seruilius, complures præterea: sunt enim insignes aliquot, qui improbissime sentiunt. sed acerbissime tulit Seruilius, assensum esse mihi de Planco. Magnum illud monstrum in rep. est, sed quo.

*

Brutus Ciceroni: S.

LITERAS *tuas ualde expecto, quas scripsisti post nuncios nostrarum rerum, & de morte Trebonij: non enim dubito quin mihi cõsilium tuum explices. Indigno scelere & ciuem optimum amisimus, & prouinciæ possessione pulsi sumus, quam recuperari facile est. Neque minus turpe, aut flagitiosum erit, post recuperari. Antonius adhuc est nobiscum: sed medius fidius & moueor hominis precibus, & timeo, ne illum aliquorum furor excipiat: plane æstuo. Quod si scirem, quid tibi placeret, sine solicitudine essem: id enim optimum esse persuasum esset mihi. Quare quamprimum fac me certiorem quid tibi placeat. Cassius noster Syriam, legiones Syriacas habet, ultro quidem à Murco, et à Martio, & ab exercitu ipso accersitus. Ego scripsi ad Tertiam sororẽ, et ad matrem, ne prius ederent hoc, quod optime ac felicissime gessit Cassius, quàm tuum consilium cognouissent, tibiq. uisum esset. Legi orationes duas tuas, quarum altera Kal. Ian. usus es; altera de literis meis, quæ habita est abs te contra Calenum. Nunc scilicet hoc expectas, dum eas laudem. Nescio, animi, an ingenij tui maior in his libellis laus contineatur. Iam concedo, ut uel Philippici uocentur, quod tu quadam epistola iocans scripsisti. Duabus rebus egemus Cicero, pecunia, & supplemento: quarum altera potest abs te expediri, ut aliqua pars militum istinc mittatur nobis, uel secreto consilio aduersus Pansam, uel actione in Senatu; altera, quæ magis est necessaria, neque meo exercitui magis quàm reliquorum. Hoc magis doleo, Asiam nos amisisse, quam sic uexari à Dolabella audio, ut iam non uideatur crudelissimum eius facinus in terfectio Trebonij. Vetus Antistius me tamen pecunia subleuauit. Cicero filius tuus sic mihi se probat, industria, patientia, labore, animi magnitudine, omni denique officio, ut prorsus nunquã dimittere uideatur cogitationem cuius sit filius. Quare quoniam efficere non possum, ut pluris facias eum, qui tibi est charissimus,* *

mus, illud tribue iudicio meo, ut tibi persuadeas non fore illi abutendum gloria tua, ut adipiscatur honores paternos. Kalend. Aprilis, Dirrachio.

Cicero Bruto S.

DATIS *mane ad* III. *Id. April. Scaptio literis, eodem die tuas accepi* Kal. *April. Dirrachio datas, uesperi; itaque mane prid. Id. April. cum à Scaptio certior factus essem, nó esse eos profectos, quibus pridie dederam, & statim ire, hoc paululum exaraui ipsa in turba matutinæ salutationis. De Cassio lætor, & reip. gratulor; mihi etiam, qui repugnante & irascente Pansa sententiam dixerim, ut Dolabellam bello Cassius persequeretur. Et quidem audacter dicebam, sine nostro* S. C. *iam illud eum bellum gerere. De te etiam dixi tum, quæ dicenda putaui. Hæc ad te oratio perferetur, quoniam te uideo delectari Philippicis nostris. Quod me de Antonio consulis; quoad Bruti exitum cognorimus, custodiendum puto. Ex his literis quas mihi misisti, Dolabella Asiam uexare uidetur, & in ea se gerere teterrime. Compluribus autem scripsisti, Dolabellam à Rhodijs esse exclusum: qui si ad Rhodum accessit, uidetur mihi Asiam reliquisse*

quisse. Id si ita est, istic tibi censeo commorandum; sin eam semel cepit, mihi crede, nó erit, at in Asiam censeo persequendum. Nihil mihi uideris hoc tempore melius acturus. Quòd egere te duabus necessarijs rebus scribis, supplemento & pecunia, difficile consilium est: non enim mihi occurrunt facultates, quibus uti te posse uideam, præter illas, quas Senatus decreuit, ut pecunias à ciuitatibus mutuas sumeres. De supplemento autem non uideo quid fieri possit. tantum enim abest, ut Pansa de exercitu suo, aut delectu tibi aliquid tribuat, ut etiam moleste ferat tam multos ad te ire uoluntarios. quo modo equidem credo, quòd ijs rebus, quæ in Italia decernuntur, nullas copias nimis magnas esse arbitretur; quomodo autem multi suspicantur, ne te quidem nimis firmum esse uelit, quod ego non suspicor. Quod scribis te ad Tertiam sororem scripsisse, ut ne prius ederent ea, quæ gæsta à Cassio essent, quàm mihi uisum esset, uideo te ueritum esse id quod uerendum fuit, ne animi partium Cæsaris, quomodo etiam nunc partes appellantur, uehementer cómouerentur. Sed ante quàm tuas literas accepimus, audita res erat, & peruulgata; tui etiam tabellarij ad multos familiares tuos literas attulerant. Quare neque supprimenda res erat, præsertim cum id fieri non posset,

possset, neque, si posset, non diuulgandum potius, quàm occultandum putaremus. De Cicerone meo, et, si tantum est in eo, quantum scribis, tantum scilicet quantum debeo, gaudeo; et si, quòd amas eum, eo maiora facis, id ipsum incredibiliter gaudeo, à te eum diligi.

Cicero Bruto S.

QVAE literæ tuo nomine recitatæ sunt Id. April. in Senatu, eodemq. tempore Antonij, credo ad te scripsisse tuos: quorum ego nemini concedo. Sed nihil necesse erat eadem omnes; illud necesse, me ad te scribere quid sentirem de tota constitutione huius belli, et quo iudicio essem, quaq. sententia. uoluntas mea Brute de summa rep. semper eadem fuit, quæ tua; ratio quibusdam in rebus, non enim omnibus, paulo fortasse uehementior. Scis mihi semper placuisse, nō rege solum, sed regno liberari remp. Tu lenius, immortali omnino cum tua laude; sed quid melius fuerit, magno dolore sentimus. Recenti illo tempore tu omnia ad pacem, quæ oratione confici non poterant, ego omnia ad libertatem, quæ sine pace nulla est. pacem ipsam bello; atque armis effici posse arbitrabar. Studia non deerant arma poscentium, quorum repressimus impetum, ardoremque restinximus.

Itaque res in eum locum uenerat, ut, nisi Cæsari Octauiano deus quidam illam mentem dedisset, in potestatē perditissimi hominis, & turpissimi M. Antonij ueniendum fuit; quo cū uides hoc tempore ipso quod sit, quātumq. certamen. Id profecto nullum esset, nisi conseruatus esset Antonius. Sed hæc omitto. res enim à te gesta memorabilis, & pene cœlestis repellit omnes reprehensiones; quippe, quæ ne laude quidem satis idonea affici possit. Extitisti nuper uultu seuero; exercitum, copias, legiones idoneas per te breui tempore comparasti. Dij immortales, qui ille nuntius, quæ illæ literæ, quæ lætitia Senatus, quæ alacritas ciuitatis erat? Nihil unquam uidi tam omnium consensione laudatum. Erat expectatio reliquiarum Antonij, quem equitatu, legionibusq. magna ex parte spoliaras. Ea quoque habuit exitum optabilem. Nam tuæ literæ, quæ recitatæ in Senatu sunt, & Imperatoris, & militum uirtutem, & industriam tuorum, in quibus Ciceronis mei, declarant. Quod si tuis placuisset de his literis referri, & nisi in tempus turbulentissimum post discessum Pansæ Cōsulis incidissent, honos quoque iustus, & debitus dijs immortalibus, decretus esset. Ecce tibi Id. April. aduolat mane celer Pilus, qui uir, dij boni, quàm grauis, quàm constans, quàm

quàm bonarum in rep. partium? Hic epistolas affert duas, unam tuo nomine, alteram Antonij. dat Seruilio Trib. pl. ille Cornuto, recitantur in Senatu. ANTONIVS PROCOS. Magna admiratio, ut si esset recitatum, Dolabella Imperator, à quo quidem uenerant tabellarij: sed nemo Pili similis, qui proferre literas auderet, aut magistratibus reddere. Tuæ recitantur, breues illæ quidem, sed in Antonium admodum lenes. uehementer admiratus Senatus. mihi autem nō erat explicatum, quid agerem. falsas dicerem? quid si tu eas approbasses? confirmarem? non erat dignitatis tuæ. itaque ille dies silentio. Postridie autem cum sermo increbruisset, Pilusque oculos uehementius hominum offendisset, natum omnino est principium à me. De Procos. Antonio multa; Sextius causæ non defuit. Post mecum; quanto suum filium, quanto meum in periculo futurum, diceret, si contra Procos. arma tulissent. Nosti hominem, causæ non defuit. Dixerunt etiam alij. Labeo uero noster, nec signum tuum in epistola, nec diem appositum; nec te scripsisse ad tuos, ut soleres. Hoc cogere uolebat, falsas literas esse, &, si quæris, probabat. Nunc tuum est consilium Brute de toto genere belli. uideo te lenitate delectari, & eum putare fructum esse maximum, præclare quidem,

dem, sed alijs rebus, alijs temporibus locus esse solet, debetq. clementiæ. Nunc quid agitur Brute? templis deorum immortalium imminet hominum egentium & perditorum spes, nec quicquam aliud decernitur hoc bello, nisi utrum simus nec'ne. Cui parcimus? aut quid agimus? His ergo consulimus, quibus uictoribus uestigium nostrum nullum relinquetur? Nam quid interest inter Dolabellam, et quemuis Antoniorum trium? quorum si cui parcimus, duri fuimus in Dolabella. Hæc ut ita sentiret Senatus, populusq. Rom. et si res ipsa cogebat, tamen maxima ex parte nostro consilio atque auctoritate perfectum est. Tu si hanc rationem non probas, tuam sententiam defendam, non relinquam meam. Neque dissolutum à te quicquam homines expectant, nec crudele. huius rei moderatio facilis est, ut in duces uehemens sis, in milites liberalis. Ciceronem meum, mi Brute, uelim quamplurimū tecum habeas. Virtutis disciplinam meliorem reperiet nullam, quàm contemplationem, atque imitationem tui. XVI. Kal. Mai.

*

Sic igitur facies, & me aut amabis, aut, quo contentus sum, diliges. Non. Amare & diligere. Contentus.

*

Veritus fortasse, ne nos in Catonem nostrum trans- Quint. l. 5. c. 10.

transferamus illinc mali quid, & si argumentum simile non erat.

*

Quint. l. 8. c. 3. *Nam eloquentiam, quæ admirationem non habet, nullam iudico.*

*

Quint. ib. * *et eum amorem, et eum, ut hoc uerbo utar, fauorem in consilium aduocabo.*

*

Quint. l. 9. c. 3. *Ego cum in gratiam redierim cum Ap. Claudio, & redierim per Cn. Pompeium. ego ergo cum redierim.*

*

Quint. ibid. *Sermo nullus, scilicet nisi de te. quid enim potius? Tum Flauius, Erras, inquit, tabellarie, & ego ibidem orans inter cœnam exoraui.*

*

Quint. ibid. *Præstat, enim nemini imperare, quàm alicui seruire. sine illo enim uiuere honeste licet, cum hoc uiuendi nulla conditio est.*

*

QVINT. *Sim ne bonus uir, si hoc suadeam? minime. Suasoris enim est finis, utilitas eius, cui quisque suadet. At recta sunt. quis negat? sed non est semper rectis in suadendo locus.*

*

QVINT. *Populo imposuimus, & oratores uisi sumus.*

Res

*

Res mihi inuisæ uisæ sunt Brute. QVINT.

Ad M. filium. lib. I.

*

QVARE *effice, & elabora, ut excelleas.* Prisc. l. 8. & l. 10.

*

Ad eundem lib. II.

*

CVI *ego, quibuscunque rebus potero, libentissime commodabo.* Non. Commodare.

*

Ad eundem ex libro incerto.

*

CETERIS *delitis.* Diom. l. I.

*

Philosophiæ quidem præcepta noscenda, uiuendum autem ciuiliter. LACTAN.

*

Ad Caluum lib. I.

TVLI *moleste, quòd literæ delitæ sunt mihi à te redditæ.* Prisc. l. 9.

*

Præsentit animus, atque augurat quodam modo, Non. Auguro.

E *quæ*

quæ futura sit suauitas.

*

Ad Catonem epiſtola.

NONIVS. NEC *idcirco mihi deſiderandam eſſe dignitatem meam, quòd eam multi impugnarint, ſed eo magis recolendam, quod plus deſiderarint.*

*

Ad Cereliam epiſtola.

QVINT. HAEC *aut animo Catonis ferenda ſunt, aut Ciceronis ſtomacho.*

Ad L. Plancum.

GELLIVS. NAM *neque deeſſe rei publicæ uolo, neque ſupereſſe.*

Ex epiſtola incerta.

Quint. l. 9. c. 3. DATA *Lupercalibus, quo die Antonius Cæſari.*

QVINT. *Ne ulli ſunt pedes faceti, ac delicijs ingredienti mollius.*

M. TVL-

M. TVLLII CICERONIS FRAGMENTORVM TOMVS TERTIVS,

Qui philoſophica continet.

OECONOMICORVM EX XENOPHONTE LIBER I.

*

HOMO *ex eo numero hominum, qui apud nos hoc nomine dignantur.* Priſc. l. 8.

*

Maritale coniugium ſic comparatum eſt natura, ut non ſolum iucundiſſima, uerum etiam utiliſſima uitæ ſocietas iniretur, & ne genus humanum temporis longinquitate occideret. propter hoc mas cum fœmina eſt coniunctus: deinde ut ex hac eadem ſocietate mortalibus adiutoria ſenectutis, nec minus propugnacula præparentur: tum etiam, cum uictus & cultus humanus non uti feris in propatulo, ac ſyluestribus locis, ſed domi ſub tecto accurandus erat, neceſſarium fuit alterutrum foris & ſub dio eſſe, qui labore, & induſtria compararet, intus, qui tectis reconderet, atque cuſtodiret: Colum. l. 12 ca. 1.

 ſi

ſi quidem uel ruſticari, uel nauigari, uel etiã alio genere negociari neceſſe erat, ut aliquas facultates acquireremus. Cum uero paratæ res ſub tectum eſſent congeſtæ, alium eſſe oportuit, qui & illatas cuſtodiret, & cætera conficeret opera, quæ domi deberent adminiſtrari: nam & fruges, & cætera alimenta terreſtria indigebant tecto, & ouium cæterarumque pecudum fœtus, atque fructus clauſo cuſtodienda erant, nec minus reliqua utenſilia, quibus aut alitur hominum genus, aut etiam excolitur. Quare cum & operam, et diligentiam ea, quæ propoſuimus, deſiderarent, nec exigua cura foris acquirerentur, quæ domi cuſtodiri oporteret, iure, ut dixi, à natura comparata eſt opera mulieris ad domeſticam diligentiam, uiri autem ad exercitationem forenſem, & ad extraneam: itaque uiro calores, & frigora perpetienda, tum etiam itinera, & labores pacis, ac belli, id eſt ruſticationis, & militarium ſtipendiorum diſtribuit: mulieri deinceps, quòd omnibus his rebus eam fecerat inhabilem, domeſtica negocia curanda tradidit. Et quoniam hunc ſexum cuſtodiæ & diligentiæ aſſignauerat, iccirco timidiorem reddidit, quàm uirilem: nam metus plurimum confert ad diligentiam cuſtodiendi. Quòd autem neceſſe erat foris, & in aperto uictum quærenti-

bus

bus nonnunquam iniuriam propulſare, iccirco uirum, quàm mulierem, fecit audaciorem. Quia uero partis opibus æque fuit opus memoria, & diligentia, non minorem fœminæ, quàm uiro, earum rerum tribuit poſſeſſionem. Tum etiam, quòd ſimplex natura non omneis res commodas amplecti uolebat, iccirco alterum alterius indigere uoluit: quoniam, quod alteri deeſt, præſto plerunque eſt alteri.

*

Nam uetus eſt prouerbium, paupertatem certiſſimam eſſe, quum alicuius indigeas, uti eo non poſſe, quia ignoretur, ubi proiectum iaceat quod deſideretur. itaque in re familiari laborioſior eſt negligentia, quàm diligentia. Quis enim dubitet nihil eſſe pulchrius in omni ratione uitæ diſpoſitione, atque ordine? quod etiam ludicris ſpectaculis licet ſæpe cognoſcere. Nam ubi chorus canentium, non ad certos modos, neque numeris præeuntis magiſtri cõſenſit, diſſonum quiddam ac tumultuoſum audientibus canere uidetur. At ubi certis numeris ac pedibus uelut facta conſpiratione conſenſit, atque concinit, ex eiuſmodi uocum concordia, non ſolum ipſis canentibus, amicum quiddam & dulce reſonat, uerum etiam ſpectantes audienteſq. lætiſſima uoluptate permulcentur. COLVM.

*

Donat. in Ter. *Quid igitur proch deum immortalium, primum eam docebas, quæso.*

*

COLVM. *Præparatis idoneis locis, instrumentum & supellectilem distribuere cœpimus, ac primum ea secreuimus, quibus ad res diuinas uti solemus: postea mundum muliebrem, qui ad dies festos comparatur. deinde ad uirilem item dierum solennium ornatum, nec minus calceamenta utrique sexui conuenientia, tum iam seorsum arma ac tela seponebantur, & in altera parte instrumenta, quibus ad lanificia utuntur, post quæ ad cibum conficiendum uasa (ut assolent) constituebantur, inde, quæ ad lauationem, quæ ad exornationem, quæ ad mensam quotidianam atque epulationem pertinerent, exponebantur. postea ex ijs, quibus quotidie utimur, quod menstruum esset, seposuimus. quod annuum quoque, in duas partes diuisimus. nam sic minus fallit, qui exitus futurus sit. Hæc postquam omnia secreuimus, tum suo quæque loco disposuimus: deinde quibus quotidie seruuli utuntur, quæ ad lanificia, quæ ad cibaria coquenda & conficienda pertinent, hæc ipsa ijs, qui uti solent, tradidimus, &, ubi ea ponerent, demonstrauimus, &, ut salua essent, præcepimus. Quibus autem ad dies festos,*

& ad hospitum aduentum utimur, hæc primo tradidimus, & loca singula demonstrauimus, & cuique sua annumerauimus, atque annumerata ipsi exscripsimus, eamq. admonuimus, ut, quodcunque opus esset, sciret unde daret: et meminisset atque adnotaret, quid, et quando, & cui dedisset, &, cum recepisset, ut quidque suo loco reponeret.

Oeconomicorum ex Xenophonte lib. II.

*

VTRVM *ne Ischomache, inquam, si res familiaris desiderasset, mercari uillicum tanquam fabrum, an ipse instituere consueuisti? Ego uero ipse instituo. Etenim qui me absente in meũ locum substituitur, & uicarius meæ diligentiæ succedit, is ea, quæ ego, scire debet.* Colum. l. 2. c. 1.

*

Oeconomicorum ex Xenophonte lib. III.

*

NVLLO *modo facilius arbitror posse neque herbas arescere, & interfici, neque terram ab sole percoqui.* Non. Interfici.

*

Cum uero affecta iam prope ætate uuas à sole mitescere Quin. l. 15. c. 5. Non. Profligare.

tescere tempus est.

*

Macr. l. 3. c. 20. *Neque serit uitem, neque, quæ sata est, diligenter colit, oleum, ficus, poma non habet.*

*

Carif. l. 1. * *apes in aluearium concesserunt.*

*

CICERO. *Cum ad Cyrum minorem, regem Persarum, præstantem ingenio, atque imperij gloria, Lysander Lacedæmonius, uir summæ uirtutis, uenisset Sardis, eiq. dona à socijs attulisset: & cæteris in rebus comis erga Lysandrum atque humanus rex fuit, et ei quendam conseptum agrum, diligenter consitum, ostendit. Cum autem admiraretur Lysander & proceritates arborum, & directos in quincuncem ordines, & humum subactam, atque puram, & suauitatem odorum, qui efflarentur è floribus, tum dixit: Mirari se non modo diligentiam, sed etiam solertiam eius, à quo essent illa dimensa, atque descripta. et Cyrus respondit: Atqui ego ista sum omnia dimensus, mei sunt ordines, mea descriptio: multæ etiam istarum arborum mea manu sunt satæ. Tum Lysander intuens eius purpuram, & nitorem corporis, ornatumq. Persicũ multo auro, multisq. gemmis, dixit: Recte uero te Cyre beatum ferunt, quoniam uirtuti tuæ fortuna coniuncta est.*

Scro-

*

SERVIVS. * *Scrobes.*

M. Tullii Ciceronis, Protagoras ex Platone:

Prisc. l. 6. QVID *tu, unde tandem appares ò Socrate? an quidem dubium non est, quin ab Alcibiade?*

*

Prisc. l. 8. *Nunc à uobis Protagora, & Socrates postulo, concedatis alter alteri, & inter nos de huiusmodi rebus controuersemini, non concertetis.*

*

Prisc. l. 6. *Quæ igitur potest esse indignitas uoluptatis ad molestiam, nisi in magnitudine, aut longitudine alterius utrius posita?*

*

Don. in Phorm. *Confirmandi genera compluria.*

M. Tullii Ciceronis de repub. lib. 1.

*

Non. Propter. EVM *quoque ut salutauit, propter Tuberonem iussit assidere.*

*

Non. Cituma. *Quare, si placet, deduc oro rationem tuam de cœlo ad hæc cituma.*

Quasi

*

DIOMED. * *Quasi alius assimulare rempub. aut melius non possit, aut omnino non possit.*

*

Non. Accõ modatum. * *expositamq. ad exemplum nostræ reip: accommodabo ad eam, si potero, omnem illam orationem, quæ est mihi habenda de optimo ciuitatis statu.*

*

Non. urbs à ciuitate. *Quam cum locis, manuq. sepsissent, eiusmodi coniunctionem tectorum oppidum, uel urbem appellarunt, delubris distinctam, spatijsq. communibus. omnis ergo populus, qui est talis cœtus multitudinis, qualem exposui, ciuitas est; omnis ciuitas, quæ est constitutio populi, respublica.*

*

AVGVST. * *breui multitudo diuersa atque uaga, concordia ciuitas facta erat.*

*

Non. Cognoscere. *Cognoscere mehercle, inquit, consuetudinem istã, & studium, sermonemque.*

*

SENECA. * *duos Romanos reges esse, quorum alter patrem non habet, alter matrem. Nam de Seruij matre dubitatur. Anci pater * Martius Numæ nepos dicitur.*

Tum

*

Tum [instituti] annui consules, tum dimissi populo fasces. Non. Dimittere.

*

* *prouocationem ad populum etiam à regibus fuisse.* SENECA.

*

Horum enim seueritatem dicitur inhorruisse primum ciuitas. Non. horrẽdum à horridum.

*

Quem nos Dictatorem dicimus, & in historia ita nominari legimus, apud antiquos magister populi uocatus est, quòd qui ab illo nominatur, magister equitum est. SENECA.

*

* *Cn. Flauius fastos protulit.* Cic. 6. Atticum. 9.

*

Quomodo enim iudicatur iste optimas? doctrina, artibus, studijs. audio, quando? Non. Aemulus.

*

Sed audisse te credo, tum uero Platonem, Socrate mortuo, primum in Aegyptum discendi causa, post in Italiam contendisse. NONIVS.

*

Tum uirtute, labore, industria quæreret summi uiri indolem, nisi nimis animose ferax natura illum nescio quo pacto. Non. Anima.

Quæ

*

Non. Consitura. *Quæ uidelicet ille non ex agri consitura, quam cernebat, sed ex doctrinæ indicijs interpretabatur.*

*

Non. Antiquusior. *Sed quoniam plurima beneficia continet patria, & est antiquior parens, quàm ijs, qui, ut aiunt, creauerit, maiori ei profecto, quàm parenti, debetur gratia.*

*

Non. Pignerari. * *Sed ut plurimas & maximas nostri animi, ingenij, consilij prima ipsa sibi ad utilitatem pigneraretur.*

*

Non. Conducere. *Facillimam autem in ea rep. esse posse concordiã, in qua idem conducat omnibus.*

*

Non. Firmitudo. *Habent æquabilitatem quandam, qua carere diutius uix possunt liberi, deinde firmitudinem.*

*

Non. libro de doct. indagine. *Nec tantum Carthago habuisset opum sexcentos fere annos sine consilijs, & disciplina.*

*

Non. Dominatus. *Quid? tunc cum es iratus, permittis illi iracundiæ dominatum animi tui?*

*

Non. Anima. *Ergo non probares consilio pulsas libidines, quæ sunt innumerabiles, iracundias, quæ tenerent om-*

omnia. Ego uero nihil isto animo, nihil ita animato homine miserius ducerem.

*

Denique ipsa natura non inuitaret solum; sed etiam cogeret. Non. Inuitare.

*

* *non modo integra eximi, sed etiam maior, quàm in arbore unquam pependerit, de oliuitate oleas esui optime condi, scribit Cato.* Non. Oliuitas.

*

Sed ut ille, qui nauigat, cum subito mare cœpit horrescere. Non. horrẽdum à horridum.

M. Tullii Ciceronis de repub. lib. II.

*

E S T *igitur quiddam turbulentum in hominibus singulis, quod uel exulat uoluptate, uel molestia frangitur.* Non. Exultare.

*

Cupido autem, & expetenti, & lubidinoso, & uolutabundo in uoluptatibus. Non. Volutabundus.

*

* *quartaq. anxitudo prona ad luctum, & mœrens, semperq. ipsa se solicitans.* Non. Anxitudo.

*

Esse autem angores, si miseria afflictas, atque abiectas timiditate, & igna uia. Non. Timor.

Vt

*

Non. Elidere. *Vt auriga indoctus è curru trahitur, operitur, eliditur, laniatur.*

*

Non. Offendere. *Sed imitor Architam Tarentinum, qui cum ad uillam uenisset & omnia aliter offendisset.*

*

Non. urbs à ciuitate. * *quo auctore, & principe uocitatur ciuitas.*

*

Non. Modicum. *Statuo esse optime constitutam remp. quæ ex tribus generibus illis, regali, optimo, & populari, confusa modice, nec puniendo irritet animum immanem ac ferum, nec omnia prætermittendo, licentia ciues deteriores reddat.*

*

Aug. l. 2. c. 21. Ciuit. *Vt in fidibus, ac tibijs, atque cantu ipso, ac uocibus concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, quem immutatum, ac discrepantem aures eruditæ ferre non possunt, isq. concentus ex dissimillimarum uocum moderatione concors tamen efficitur & congruens: sic ex summis, & medijs, & infimis interiectis ordinibus, ut sonis, moderata ratione ciuitas consensu dissimillimorum concinit, & quæ barmonia à musicis dicitur in cantu, ea est in ciuitate concordia, arctissimum atque optimum omni in rep. uinculum incolumitatis, quæ sine iustitia*

stitia nullo pacto esse potest.

*

Iustitia foras spectat, & proiecta tota est, atque eminet. Non. Proiectum.

*

Quæ uirtus præter cæteras totam se ad alienas utilitates porrigit, atque explicat. Non. Explicare.

*

* *quæ sanguine alitur, atque in omni crudelitate sic exulat, ut uix hominum acerbis funeribus satietur.* Non. Exultare.

*

Itaque præclara illa institutio Romuli cum ducentos annos & triginta fere firma mansisset. Non. lib. de doct. indagine.

*

Ac primus agros, quos bello Romulus ceperat, diuisit uiritim ciuibus. Non. Viritim.

*

* *multaq. ditione ouium, & boum, quòd tunc erat res in pecore, & in locorum possessionibus, ex quo pecuniosi, & locupletes uocabantur.* Non. Pecuniosus.

*

* *ut Carneadi respondeatis, qui sæpe optimas causas ingenij calumnia ludificari solebat.* Non. Calumnia.

M. Tullij

M. Tullii Ciceronis de repub. lib. III.

*

Aug. l. 4. cōtra Pelagium.

HOMO non ut à matre, sed ut à nouerca natura editus est in uitam, corpore nudo, & fragili, & infirmo, animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines, in quo tamen inesset tanquam obrutus quidam diuinus ignis ingenij, & mentis.

*

SENECA. Quoniam sumus ab ipsa calce eius interpellatione reuocati.

*

LACTAN. Nullum est ius naturale. itaque omnes animantes ipsa ducente natura cōmoda sua defendunt. et ideo iustitia, si alienis utilitatibus consulat, suas negligat, stultitia est dicenda. Quod si omnes populi, penes quos sit imperium, ipsique Romani, qui orbem totum possedere, iustitiam sequi uelint, ac suum cuique restituere, quod ui & armis occupauerunt; ad casas, & egestatem reuertentur. quod si fecerint, iustos dicemus quidem, sed tamen stultos iudicare necesse est, qui, ut alijs prosint, sibi nocere contendunt.

Bonus

Lact. l. 5. c. 17. Epit. c. 1.

Bonus uir si habeat seruum fugitiuum, uel domū insalubrem, ac pestilentem, quæ uitia solus sciat, & ideo proscribat, ut uendat, utrum ne profitebitur, fugitiuum seruum, ac pestilentem domum se uendere, an celabit emptorem? si profitebitur emptori, fugitiuum esse, bonus quidem, quia non fallet, sed tamen stultus iudicabitur, quia uel paruo uendet, uel omnino non uendet: si celauerit, erit quidem sapiens, quia rei consulet, sed idem malus, quia fallet. Deinde, si reperiat hominem, qui aut aurum, pro aurichalcho, aut argentum pro plumbo uendat per errorem, atque id emere necessitas cogat, utrum dissimulabit, & emet paruo, an potius indicabit? iustus utique dicetur, quia non fefellit, sed idem stultus, qui alteri fecerit lucrum, sibi damnum. sed facile de damno est: quid si uita eius in periculum ueniet, ut eum aliquando necesse sit, aut occupare, aut mori, quid faciet? Potest hoc euenire, ut naufragio facto inueniat aliquem imbecillum, tabulæ inhærentem: aut uicto exercitu fugiens, reperiat aliquem uulneratum, equo insidentem, utrum ne aut illum tabula, aut hunc equo deturbabit, ut ipse possit euadere? si uolet iustus esse, non faciet, sed idem stultus iudicabitur, qui, dum alterius uitæ parcit, suam perdet: si faciet, sapiens quidem uidebitur, quia sibi con

F sulit,

ſulit, ſed & idem malus, quia nocebit.

*

Lact. l. 5. c. 12. *Quæro, ſi duo ſint, quorum alter optimus uir, æquiſſimus, ſumma iuſtitia, ſingulari fide, alter inſigni ſcelere, & audacia, & ſi in eo ſit errore ciuitas, ut bonum illum uirum ſceleratum, facinoroſum, nefarium putet, contra autem, qui ſit improbiſſimus, exiſtimetur ſumma eſſe probitate, ac fide, proq. hac opinione omnium ciuium, bonus ille uir uexetur, rapiatur, manus ei denique auferantur, effodiantur oculi, damnetur, uinciatur, uratur, exterminetur, egeat, poſtremo iure etiam optimo omnibus miſerrimus eſſe uideatur: contra autem ille improbus laudetur, colatur, ab omnibus diligatur, omnes ad eum honores, omnia imperia, omnes opes, omnes denique copiæ conferantur: uir denique optimus omnium æſtimatione, & digniſſimus omni forma iudicetur, quis tandem erit tam demens, qui dubitet, utrum ſe eſſe malit?*

*

Non. Famulatur. *Eſt enim genus iniuſtæ ſeruitutis, cum ij ſunt alterius, qui ſui poſſunt eſſe. cum autem hi famulantur.*

Non. Infeſtum mare. Myoparo. *Nam cum quæreretur ex eo, quo ſcelere compulſus mare haberet infeſtum uno myoparone, eo-*

dem, inquit, quo tu orbem terræ.

*

Non grauarer Læli, niſi & hos uelle putarem, & ipſe cuperem te quoque aliquam partem huius noſtri ſermonis attingere: præſertim quum heri dixeris, te nobis etiam ſuperfuturum: uerum ſi id quidem fieri non poteſt, ne deſis, omnes te rogamus. GELLIVS.

*

Lact. l. 6. c. 8. *Et quidem uera lex recta ratio, naturæ congruẽs, diffuſa in omnes, conſtans, ſempiterna, quæ uocet ad officium iubendo, uetando à fraude deterreat, quæ tamen neque probos fruſtra iubet, aut uetat, nec improbos iubendo, aut uetando mouet. Huic legi nec obrogari fas eſt, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari poteſt. Nec uero aut per Senatum, aut per populum ſolui hac lege poſſumus. Neque eſt quærendus explanator, aut interpres eius alius: nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia poſthac. ſed & omnes gentes, & omni tempore una lex, & ſempiterna, & immortalis continebit, unusq. erit communis quaſi magiſter, & imperator omnium Deus. ille legis huius inuentor, diſceptator, lator, cui qui non parebit, ipſe ſe fugiet, ac naturam hominis aſpernabitur, hocq. ipſo luet maximas pœnas, etiamſi cætera ſup-*

 plicia,

plicia, quæ putantur, effugerit.

*

LACTAN. Huic tu uiro quas diuitias obijcies? quæ imperia, quæ regna? qui iſta omnia putat humana, ſua bona diuina iudicat.

*

Priſc. l. 8. * quibus aſſentior ſollicitam, & periculoſam iuſtitiam non eſſe ſapientis.

*

Non. Vbi genit. pro ablatiuo. Noſter autem populus ſocijs defendendis terrarũ iam omnium potitus eſt.

*

Non. Largitas. * Pyrrhi ridetur largitas à coſ. aut Samnitum copiæ Curio defuerunt.

*

Non. Apud Cuius etiam focum Cato ille noſter, cum uenerat ad ſe in Sabinos, ut ex ipſo audiebamus, uiſere ſolebat, apud quem ſedens Samnitum, quondam hoſtium, tum iam clientium ſuorum, dona relegauerat.

*

AVGVST. Nullum bellum ſuſcipitur à ciuitate optima, niſi aut pro fide, aut pro ſalute.

*

Aug. l. 22. c. 4. ciuit. * quorum non corpora ſunt in cœlum elata. neque enim natura pateretur, ut id, quod eſſet de terra, niſi in terra maneret.

Auguſt. l. 22. c. 6. ciuit. Magis eſt in Romulo admirandum, quòd cæteri, qui dij ex hominibus facti eſſe dicuntur, minus eruditis hominum ſæculis fuerunt, ut fingendi procliuior eſſet ratio, cum imperiti facile ad credendum impellerentur. Romuli autem ætatem minus his ſexcentis annis, iam inueteratis literis, atque doctrinis, omniq́ue illo antiquo ex inculta hominum uita errore ſublato, fuiſſe cernimus.

*

Aug. ibidẽ. Ex quo intelligi poteſt, permultis annis ante Homerum fuiſſe quàm Romulum, ut iam doctis hominibus, ac temporibus ipſis eruditis ad fingendum uix quicquam eſſet loci. antiquitas enim recepit fabulas, fictas etiam nonnunquam incondite. Hæc ætas autem, iam exculta præſertim, eludens omne, quod fieri nõ poteſt, reſpuit.

*

Lactan. l. 5. c. 19. Senec. l. 19. epiſt. Apud Ennium ſic loquitur Africanus.

Si fas cedendo cœleſtia ſcandere cuiquam eſt,
Mi ſoli cœli maxima porta patet.

Eſt uero, inquit, Africane. nam & Herculi eadem ipſa porta patuit.

SENECA. Hic eſt ille ſitus, cui nemo ciuis, neque hoſtis
Quiuit pro factis reddere operæprecium.

*

Aug. l. 3. c. 15. ciuit. * tantum eſt conſequutus, ut, cum ſubito ſole obſcurato non comparuiſſet, deorũ

innumero collocatus putaretur, quam opinionem nemo unquam mortalis assequi potuit sine eximia uirtutis gloria.

*

Aug. 16. Propterea & istum non creditum inter deos receptum tali morte, quia fortasse quod erat in Romulo probatum, Romani uulgare noluerunt, si hoc & alteri tribueretur.

*

Lact. l. 5. c. 19. Vult plane uirtus honorem, nec est uirtutis ulla alia merces, quam tamen illa accipit facile, exigit non acerbe: sed si aut ingrati uniuersi, aut inuidi multi, aut inimici potentes suis uirtutem præmijs spoliant, næ illa se tamen multis solatijs oblectat, maximeque suo decore se ipsam sustentat.

*

Aug. l. 22. c. 6. ciuit. Sed his, pœnis quas etiam stultissimi sentiunt, egestate, exilio, uinculis, uerberibus elabuntur sæpe priuati, oblata mortis celeritate. Ciuitatibus autem mors ipsa pœna est, quæ uidetur à pœna singulos uindicare. debet enim constituta sic esse ciuitas, ut æterna sit. Itaque nullus interitus est reip. naturalis, ut hominis, in quo mors non modo necessaria est, uerum etiam optanda persæpe. Ciuitas autem cum tollitur, deletur, extinguitur, simile est quodammodo, ut magnis parua conferamus, ac si omnis hic

hic mundus intereat, ac concidat.

*

Resp. est res populi. Populus autem non omnis cœtus multitudinis, sed cœtus iuris consensu, et utilitatis communione sociatus. Aug. l. 2. c. 21. ciuit.

*

Resp. res populi, cum bene, ac iuste geritur, siue ab uno rege, siue à paucis optimatibus, siue ab uniuerso populo. cum uero iniustus est rex, quem tyrannum uoco, aut iniusti optimates, quorum consensus factio est, aut iniustus ipse populus, cui nomen usitatum nullum reperio, nisi ut etiam ipsum tyrannum appellem: non iam uitiosa, sed omnino nulla resp. est, quoniam non est res populi, cum tyrannus eam factio ue capessat: nec ipse populus iam populus est, si sit iniustus, quoniam non est multitudo iuris consensu, & utilitatis communione sociata. Aug. l. 2. c. 21.

*

Vbi uero iustitia uera non est, nec ius potest esse. quod enim iure fit, profecto iuste fit. quod autem fit iniuste, nec iure fieri potest. non enim iura dicenda sunt, uel putanda, iniqua hominum constituta, cum illud etiam ipsi ius esse dicant, quòd de iustitiæ fonte manauerit, falsumque sit, quod à quibusdam non recte sentientibus dici solet, id ius esse, quod ei, qu plusi AVGVST.

plus potest, utile est.

Aug.l.4. cōtra Pelagium. *An non cernimus optimo cuique dominatum ab ipsa natura cum summa utilitate infimorum datum? Cur igitur deus homini, animus imperat corpori, ratio libidini, iracundiæq. & cæteris uitiosis eiusdem animi partibus?*

*

Aug. ibidē. *Sed & imperandi, & seruiendi sunt dissimilitudines cognoscendæ. Nam ut animus corpori dicitur imperare, dicitur etiam libidini, sed corpori, ut rex ciuibus suis, aut parens liberis, libidini autem, ut seruis dominus, quòd eam coercet, & frangit: sic regum, sic imperatorum, sic magistratuum, sic patrum, sic populorum imperia ciuibus, socijsq. præsunt, ut corporibus animus. domini autem seruos ita fatigant, ut optima pars animi, id est sapientia, eiusdem animi uitiosas, imbecillasq. partes, ut libidines, ut iracundias, & perturbationes cæteras.*

*

Non. Mercatura. *Phœnices primi mercaturis, & mercibus suis auaritiam, & magnificentiam, & inexplebiles cupiditates omnium rerum exportauernnt in Græciam.*

*

Non. Confidentiam. * *duas sibi res, quo minus in uulgus, et in foro diceret, confidentiam et uocē defuisse.*

Sapien-

*

Non. Proferre. *Sapientia iubet proferre opes, amplificare diuitias.*

*

Non. periclum. * *sed ut ipsi seu animum periclitentur, seu uideant, quid se putent esse facturos.*

*

Non. Impigritas. *Nunquam uiri fortissimi fortitudinis, impigritatis, patientiæ.*

*

Prisc. l. 6. *Quid ergo illa sibi uult absurda exceptio, nisi quis Athonem pro monimento uult funditus efficere? Quis enim est Athos, aut Olympus tantus?*

*

Non. Vafrum. *Non sunt in disputando uafri, non ueteratores, non malitiosi.*

*

M. Tullii Ciceronis de repub. lib. IIII.

*

Non. Vbi accusatiuus p genitiuo. ATQVE *ipsa mens, quæ futura uidet, præterita meminit.*

*

Non. Mitis. *Cumq. autumno terras ad concipiendas fruges patefecerit, hyeme ad conficiendas compresserit, uere ad effundendas relaxarit, æstate ac maturitate*

turitate

turitate alias mitigauerit, alias torruerit:

*

Non. Aptã. * *eademq. obiectam uino, atque umbram noctemq. efficiat, cum ad numerum dierum aptam, tum ad laborum quietem.*

*

Aug. l. 2. c. 9. Ciuit. *Nunquam comœdiæ, nisi consuetudo uitæ paterer, probare sua theatris flagitia potuissent.*

Aug. ibidẽ. *Quem illa non attigit, uel potius quem non uexauit, cui pepercit? esto: populares homines, improbos, in rep. seditiosos Cleonem, Cleophontem, Hyperbolum læsit. patiamur: etsi huiusmodi ciues à censore melius est, quàm à poeta notari. Sed Periclem, cum iam suæ ciuitati maxima auctoritate plurimos annos domi et belli præfuisset, uiolari uersibus, & eos agi in scena, non plus decuit, quàm si Plautus noster uoluisset, aut Næuius P. & Cn. Scipioni, aut Cæcilius M. Catoni maledicere.*

*

Aug. 16. *Nostræ contra XII. tabulæ cum perpaucas res capite sanxissent, in his hanc quoque sanciendam putauerunt, si quis actitauisset, siue carmen condidisset, quod infamiam faceret, flagitium ne alteri: præclare. iudicijs enim ac magistratuum disceptationibus legitimis propositam uitam, non poetarum ingenijs habere debemus,*

bemus, nec probrum audire, nisi ea lege, ut respondere liceat, & iudicio defendere.

*

Aeschines Atheniensis, uir eloquentissimus, cum adolescens tragœdias actitauisset, remp. capessiuit, & Aristodemum tragicum, item actorem, maximis de rebus pacis, ac belli legatum ad Philippum Athenienses sæpe miserunt. Aug. l. 2. c. 10. ciuit.

*

* *probris & iniurijs poetarum subiectam uitam, famamq. habere noluerunt, capite etiam puniri sancientes, tale carmen condere si quis auderet.* Augúst. l. 2. c. 12. ciuit.

*

* *cum artem ludicram, scenamq. totam in probro ducerent, genus id hominum non modo honore ciuium reliquorum carere, sed etiam tribu moueri notatione censoria uoluerunt.* Aug. l. 2. c. 13. ciuit.

*

Ad quos cum accessit clamor, & approbatio populi, quasi magni cuiusdam, & sapientis magistri, quas illi obducunt tenebras? quos inuehunt metus? quas inflammant cupiditates? Aug. l. 2. c. 14. ciuit.

*

Ego uero eodem, quò ille Homerum redimitum coronis & delibutum unguentis emittit ex ea urbe, quam ipse sibi fingit. Non. Fingere.

Cumq.

*

MARCEL. Cumq. nihil tam incorruptum esse debeat in rep. quàm suffragium, quàm sententia, non intelligo cur, qui ea pecunia corruperit, pœna dignus sit, qui eloquentia, laudem etiam ferat. Mihi quidem hoc plus mali facere uidetur, qui oratione, quàm qui precio iudicem corrumpit, quòd pecunia corrumpere prudentem nemo potest, dicendo potest.

*

Non. impurus. * Sed iuuentuti nostræ minime audiendus. Quippe si ita sensit, ut loquitur, est homo impurus, sin aliter, quod malo, oratio est tamen immanis.

Non. Immanis.

*

Non. Ignominia. Censoris iudicium nihil fere damnato affert, nisi ruborem. Itaque ut omnis ea iudicatio uersatur tantummodo in nomine, animaduersio illa ignominia dicta est.

*

Non. Vbi datiuus, pro accusatiuo. Nec uero mulieribus præfectus reponatur, qui apud Græcos creari solet, sed sit censor, qui uiros doceat moderari uxoribus.

*

Non. Temulenta. Magnam habet uim disciplina uerecundiæ. cauent temeto omnes mulieres.

*

Non. Fama. * atque etiam si qua erat famosa, ei

ei cognati osculum non ferebant.

*

Non modo ut Spartæ, rapere ubi pueri, & clepere discunt. Non. Clepere.

*

Apud Græcos opprobrio fuit adolescentibus, si amatores non haberent. Seruius.

*

* admiror, nec rerum solum, sed uerborum etiam elegantiam, SI IVRGANT (inquit) beneuolorum concertatio, non lis inimicorum, iurgium dicitur. Non. Iurgium à lite.

*

Iurgare igitur lex putat inter se uicinos, non litigare. Non. ibi.

Itaque à petendo petulantia, à procando, id est, poscendo procacitas nominata est. Non. Petulantia. Procacitas.

*

Fides enim nomen ipsum mihi uidetur habere, cùm fit, quod dicitur. Non. Fides

*

In ciue excelso, atque homine nobili blanditiam, ostentationem, ambitionem notam esse leuitatis. Non. Blandimentum.

*

Nolo enim eundem populum imperatorem, & portitorem esse terrarum, optimum autem, Non. Portitor.

&

& in priuatis familijs, & in rep. uectigal duco esse parsimoniam.

*

Non. Pecuda. * cum adhibent in pecuda pastores:

*

Non. Excipere. * quos insepultos reliquissent, eos, quos ex mari propter uim tempestatis excipere non potuissent, innocentes necauerint.

*

Non. Proprium. Et noster Plato magis etiam, quàm Lycurgus, omnia qui prorsus iubet esse communia, ne quis ciuis propriam, aut suam rem ullam queat dicere.

*

Non. de doctr. ind. Nec in hac dissensione suscepi populi causam, sed bonorum.

*

Non. Auguro. Cui quidem utinam uere fideliter abundante augurauerim.

*

Non. Sanctitudo. * eosdem terminos hominum curæ, atque uitæ, sic pontificio iure sanctitudo sepulturæ.

*

PRISC. Non enim facile ueluti populo resistitur, si aut nihil impertias iuris, aut parum.

*

PRISC. Brachialia.

nec

*

LACTAN. * nec uoluntatem mihi defuisse, nec curam.

M. Tullii Ciceronis de repub. lib. v.

*

Aug. l. 2. c. 21. ciuit. *Ennius*:

Moribus antiquis res stat Romana, uirisque.

Quem quidem ille uersum, uel breuitate, uel ueritate, tanquam ex oraculo mihi quodam esse effatus uidetur. nam neque uiri, nisi ita morata ciuitas fuisset, neque mores, nisi hi uiri præfuissent, aut fundare, aut tam diu tenere potuissent tantam, & tam iuste, lateq́. imperantem remp. Itaque ante nostram memoriá et mos ipse patrius præstantes uiros adhibebat, & ueterum morem, ac maiorum instituta retinebant excellentes uiri. nostra uero ætas cum remp. sicut picturam accepisset egregiam, sed iam euanescentem uetustate, non modo eam coloribus ijsdem, quibus fuerat, renouare neglexit, sed ne id quidem curauit, ut formam saltem eius, & extrema tanquam lineamenta seruaret. quid enim manet ex antiquis moribus, quibus ille dixit rem stare Romanam? quos ita obliuione obsoletos uidemus, ut non modo non colantur, sed etiam ignorentur? Ná de

Non. Vanum.

de uiris quid dicam? mores enim ipsi interierunt uirorum penuria. cuius tanti mali nō modo reddenda ratio nobis, sed etiam tanquam reis capitis quodammodo dicenda causa est. nostris enim uitijs, non casu aliquo remp. uerbo retinemus, reapse uero iampridem amisimus.

*

Cic. 8. Atticum. *Vt enim gubernatori cursus secundus, medico salus, imperatori uictoria, sic huic moderatori reip. beata ciuium uita proposita est, ut opibus firma, copijs locuples, gloria ampla, uirtute honesta sit. huius enim operis maximi inter homines, atque optimi illum esse effectorem uolo.*

*

DIOMED. * *excellunt.*

*

Tum uirtute, labore, industria quærere summi uiri indolem, nisi nimis animose ferox natura illum nescio quo pacto.

*

Non. Anima. *Quæ uirtus fortitudo uocatur, in qua est magnitudo animi, mortis dolorisq. magna contemptio.*

*

Non. Contemptio. *Marcellus ut acer, & pugnax. Maximus, ut consideratus, & lentus.*

*

Non. Lentum. *Sed tamen ut bono patrisfamilias colendi, ædificandi,*

candi, ratiocinandi quidam usus opus est.

*

Quæ cum Scipio dixisset, admodum probans. nimis enim erat odio rhetorum imbutus. Non. Imbuere.

*

Qui comperit eius uim, & effrenatam illam ferociam. Non. Ferocia.

*

* *orbi terrarum comprehensos.* Caris.

*

* *quod molestias senectutis suæ uestris familijs impertire posset.* Non. Impertire.

*

Quod non modo singulis hominibus, sed potentissimis populis sæpe contigit. NONIVS.

*

M. Tullii Ciceronis de repub. lib. VI.

*

TOTAM *igitur expectas prudentiam huius rectoris, quæ ipsum nomen hoc nacta est ex prouidendo.* Non. Prudentia.

*

Qui numero optimatum, & principum obtulit his uocibus, & grauitatis suæ liquit illum tristem, & plenum dignitatis sonum. Non. Tristis.

 Graues

*

Non. Explerià satiari. *Graues enim dominæ cogitationum libidines infinita quædam cogunt, atque imperant: quæ quia expleri, atque satiari nullo modo possunt, ad omne facinus impellunt eos, qui illecebris suis incenduntur.*

*

Non. Samiũ *Oratio extat, Læli, quam omnes habemus in manibus, quòd imperia pontificum dijs immortalibus grata sine Samio, quæ, ut hic scribit, capedines.*

*

Non. Firmiter. Priscianus. *Firmiter enim maiores nostri stabilita matrimonia esse uoluerunt.*

*

Non. Comparare. *Quamobrem se comparet hic ciuis ita necesse est, ut sit contra hæc, quæ ciuitatis statum peruertunt, semper armatus.*

*

Non. Seditio. *Eaq. dissensio ciuium, quòd seorsum eunt alij ad alios, seditio dicitur.*

*

Non. de doctr. ind. *Et uero in dissensione ciuili, cum boni plus, quàm multi ualent, expendendos ab his, non numerandos puto.*

*

Gell. l. 6. c. 16. *Quod quidem eo fuit maius, quia cum in causa pari collegæ essent, non modo inuidia pari non erant,*

erant, sed etiam Claudij inuidiam Gracchi caritas deprecabatur. Non. Deprecari.

*

Ferunt hos laudibus, mactant honoribus. Non. Mactare.

*

Alendus hic est gloria. AVGVST.

*

* *in his ut meministis, concursu leuissimæ multitudinis ære congesto funus desubito esset ornatum.* Non. Desubito.

*

Vt quemadmodum scribit ille, quotidiano in forum mille hominum cum pallijs conchylao tinctis descenderent. Non. Vbi genitiuus pro nominatiuo

*

Sed quanquam sapientibus conscientia ipsa factorum egregiorum amplissimum uirtutis præmium est, tamen illa diuina uirtus non statuas plumbo inhærentes, nec triumphos arescentibus laureis, sed stabiliora quædam, & uiridiora præmiorum genera desiderat. Quæ tandem ista sunt? inquit Lælius. Tum Scipio, patimini me, (inquit) quoniam tertium diem feriati sumus. Macr. l. 1. Som.

*

Cum in Africam uenissem M'. Manilio cos. ad quartam legionem tribunus (ut scitis) militum, nihil mihi potius fuit, quã ut Massinissam Macrobius.

conuenirem, regem familiæ nostræ iustis de causis amicissimum. ad quem ut ueni, complexus me senex collachrymauit, aliquantoq. post suspexit in cœlum, & grates, inquit, tibi ago summe Sol, uobisq. reliqui cœlites, quòd antequam ex hac uita migro, conspicio in meo regno, & his tectis P. Cornelium Scipionem, cuius ego nomine ipso recreor. Ita nunquam ex animo meo discedit illius optimi atque inuictissimi uiri memoria. Deinde ego illum de suo regno, ille me de nostra R. P. percunctatus est, multisq. uerbis ultro citroque habitis, ille nobis consumptus est dies. Post autem regio apparatu accepti, sermonem in multam noctem produximus, cum senex nihil nisi de Africano loqueretur, omniaq. eius non solum facta, sed etiam dicta meminisset. Deinde ut cubitum discessimus, me, et fessum de uia, & qui ad multam noctem uigilassem, arctior quàm solebat somnus amplexus est. Hic mihi (credo equidem, ex hoc quod eramus locuti,) (fit enim fere, ut cogitationes, sermonesq. nostri pariant aliquid in somno tale, quale de Homero scribit Ennius, de quo uidelicet sæpissime uigilans solebat cogitare, & loqui) Africanus se ostendit illa forma, quæ mihi ex imagine eius, quàm ex ipso, erat notior. Quem ut agnoui, equidem cohorrui. Sed ille, ades, inquit, animo,

mo, & omitte timorem Scipio, et, quæ dicam, trade memoriæ. Vides ne illam urbem, quæ parere Po. Ro. coacta per me, renouat pristina bella, nec potest quiescere? (ostendebat autem Carthaginem de excelso, & pleno stellarum, illustri & claro quodam loco) ad quam tu oppugnandam nunc uenis pene miles: hanc hoc biennio Cos. euertes, eritq. cognomen id tibi per te partum, quod habes ex nobis adhuc hæreditarium. Cum autem Carthaginem deleueris, triumphum egeris, Censorque fueris, & obieris legatus Aegyptum, Syriam, Asiam, Græciam, delegere iterum absens Cos. bellumq. maximum conficies, Numantiam excindens. Sed cum eris curru Capitolium inuectus, offendes R. P. perturbatam consilijs nepotis mei. Hic tu Africane ostendas oportebit patriæ lumen animi, ingenij, consilijq. tui. Sed eius temporis ancipitem uideo quasi fatorum uiam. Nam cum ætas tua septenos octies solis anfractus, reditusq. conuerterit, duoq. hi numeri, quorum uterque plenus, alter altera de causa habetur, circuitu naturali summam tibi fatalem confecerint, in te unum atque tuũ nomen se tota conuertet ciuitas, te senatus, te omnes boni, te socij, te Latini intuebuntur. tu eris unus, in quo nitatur ciuitatis salus. Ac ne multa: Dictator remp. constituas oportet, si

impias propinquorum manus effugeris. Hic cum exclamasset Lælius, ingemuissentq. cæteri uehementius, leniter arridens Scipio, quæso inquit, ne me è somno excitetis: et pax sit rebus. audite cætera. Sed quo sis Africane alacrior ad tutandam remp. sic habeto, omnibus, qui patriam conseruauerint, adiuuerint, auxerint, certum esse in cœlo, ac diffinitum locum, ubi beati æuo sempiterno fruantur. Nihil est enim illi Principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidē in terris fiat acceptius, quàm concilia, cœtusq. hominum iure sociati, quæ ciuitates appellantur. harum rectores & conseruatores hinc profecti huc reuertentur. Hic ego, etsi eram perterritus non tam metu mortis, quàm insidiarum à meis, quæsiui tamen, uiueret ne ipse pater Paullus, & alij, quos nos extinctos arbitremur. Immo uero, inquit, hi uiuunt, qui ex corporum uinculis tanquam è carcere euolauerunt. uestra uero, quæ dicitur uita, mors est. Quin tu aspicias ad te uenientem Paulum patrem. quem ut uidi, equidem uim lachrymarum profudi. Ille autem me amplexus atque osculans flere prohibebat. Atque ego ut primum fletu represso loqui posse cœpi, quæso, inquam, pater sanctissime, atque optime, quoniam hæc est uita, (ut Africanum audio dicere) quid moror in terris,

ris, quin huc ad uos uenire propero? Non est ita, inquit ille. Nisi enim Deus is, cuius hoc templum est omne quod conspicis, istis te corporis custodijs liberauerit, huc tibi aditus patere non potest. Homines enim sunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum, quem in hoc templo medium uides, quæ dicitur terra. Hisq. animus datus est ex illis sempiternis ignibus, quæ sydera & stellas uocatis, quæ globosæ & rotundæ diuinis animatæ mentibus circulos suos orbesq. conficiunt celeritate mirabili. Quare & tibi Publi, & pijs omnibus retinendus est animus in custodia corporis, nec iniussu eius, à quo ille est uobis datus, ex hominum uita migrandum est, ne munus humanum assignatum à Deo defugisse uideamini. Sed sic Scipio, ut auus hic tuus, ut ego, qui te genui, iustitiam cole, & pietatem, quæ cum sit magna in parentibus, & propinquis, tum in patria maxima est: quia ea uita uia est in cœlum, & in hunc cœtum eorum, qui iam uixerunt, et corpore laxati illum incolunt locum, quem uides. Erat autem is splendidissimo candore inter flammas circulus eludens, quem uos (ut à Graijs accepistis) orbem lacteum nuncupatis. Ex quo omnia mihi contemplanti præclara cætera & mirabilia uidebantur. Erant autem eæ stellæ, quas nunquam ex hoc loco uidimus,

& eæ magnitudines omnium, quas esse nunquam suspicati sumus: ex quibus erat illa minima, quæ ultima cælo, citima terris luce lucebat aliena. stellarum autem globi terrarum magnitudinem facile uincebant. Iam uero ipsa terra ita mihi parua uisa est, ut me imperij nostri, quo quasi eius punctum attingimus, pœniteret. Quam cum magis intuerer, quæso, inquit Africanus, quousque humi defixa tua mens erit? num ne aspicis quæ in templa ueneris? nouem tibi orbibus, uel potius globis conuexa sunt omnia, quorum unus est cælestis extimus, qui reliquos omnes complectitur, summus ipse Deus, arcens, & continens cæteros: in quo infixi sunt illi, qui uoluuntur, stellarum cursus sempiterni, cui subiecti sunt septem qui uersantur retro contrario motu atque cælum. Ex quibus unum globum possidet illa, quam in terris Saturniam nominant. deinde est hominum generi prosperus & salutaris ille fulgor, qui dicitur Iouis. tum rutilus, horribilisq. terris, quem Martem dicitis, subter mediam fere regionem Sol optinet, dux & princeps, & moderator luminum reliquorũ, mens mundi, & temperatio, tanta magnitudine, ut cuncta sua luce lustret, & compleat. Hunc ut comites consequuntur, alter Veneris, alter Mercurij cursus. In infimoq. orbe Luna radijs Solis

lis accensa conuertitur. Infra autem iam nihil est nisi mortale, & caducum, præter animos generi hominum munere deorum datos. supra Lunam sunt omnia æterna. Nam ea quæ est media, & nona, tellus, neq̃ue mouetur, & infima est, & in eam feruntur omnia suo nutu pondera. Quæ cum intuerer stupens, ut me recepi, quis hic inquam, quis est, qui complet aures meas, tantus & tam dulcis sonus? Hic est, inquit ille, qui interuallis coniunctus imparibus, sed tamẽ pro rata portione distinctis, impulsu, & motu ipsorum orbium efficitur, qui acuta cum grauibus temperans, uarios æquabiliter concentus efficit. nec enim silentio tanti motus incitari possunt. et natura fert, ut extrema ex altera parte grauiter, ex altera autem acute sonent. Quam ob causam summus ille, cæli stelliferi cursus, cuius conuersio est concitatior, acuto & excitato mouetur sono, grauissimo autem hic lunaris, atque infimus. Nam terra nona immobilis manens, ima sede semper hæret, complexa medium mundi locum. Illi autem octo cursus, in quibus eadem uis est duorum, Mercurij & Veneris, modorum septem efficiunt distinctos interuallis sonos, qui numerus rerum omnium fere nodus est. quod docti homines neruis inuitati atque cantibus, aperuere sibi reditum ad hunc locum.

sicut

Sicut alij, qui præstantibus ingenijs in uita humana diuina studia coluerunt. Hoc sonitu completæ aures obsurduerunt. nec est ullus hebetior sensus in uobis, sicut in illis, ubi Nilus ad illa, quæ catadupa nominantur, præcipitat ex altissimis montibus, ea gens, quæ illum locum accolit, propter magnitudinē sonitus sensu audiendi caret. Hic uero tantus est totius mundi incitatissima conuersione sonitus, ut eum aures hominum capere non possint. sicut intueri Solem nequitis aduersum, eiusq. radijs acies uestra, sensusq. uincitur. Hæc ego admirans, referebam tamen oculos ad terram identidem. Tum Africanus inquit: Sentio te sedem etiam nunc hominum contemplari, ac domum. quæ si tibi parua (ut est) ita uidetur, hæc cœlestia semper spectato, illa humana contemnito. Tu enim quam celebritatem sermonis hominum, aut quam expetendam gloriam consequi potes? Vides habitari in terra raris, & angustis in locis, & in ipsis quasi maculis, ubi habitatur, uastas solitudines interiectas: hosque, qui incolunt terram, non modo interruptos ita esse, ut nihil inter ipsos ab alijs ad alios manare possit, sed partim obliquos, partim transuersos, partim etiam aduersos stare uobis, à quibus sperare gloriam certe nullam potestis. Cernis autem terram eandem, quasi quibusdā

redimi-

redimitam & circundatam cingulis, è quibus duos maxime inter se diuersos, & cœli uerticibus ipsis ex utraque parte subnixos obriguisse pruina uides; medium autem illum, & maximam Solis ardore torreri. Duo sunt habitabiles, quorum australis ille, in quo qui insistunt, aduersa uobis urgent uestigia, nihil ad uestrum genus. Hic autem alter subiectus aquiloni, quem incolitis, cerne quàm uos tenui parte contingat. Omnis enim terra, quæ colitur uobis, angusta uerticibus, lateribus latior, parua quædam insula est, circumfusa illo mari, quod Atlanticum, quod magnum, quod Oceanum appellatis in terris, qui tamen, tanto nomine, quàm sit paruus, uides. Ex his ipsis cultis, notisq. terris, num aut tuum, aut cuiusquam nostrum nomen uel Caucasum hunc, quem cernis, transcendere potuit, uel illum Gangem transnare? Quis in reliquis orientis, aut obeuntis Solis ultimis, aut Aquilonis, Austri ue partibus tuum nomen audiet? quibus amputatis, cernis profecto quantis in angustijs uestra gloria se dilatari uelit. ipsi autem, qui de uobis loquuntur, quàm diu loquentur? quin etiam si cupiat proles illa futurorum hominum deinceps laudes uniuscuiusque nostrum à patribus acceptas posteris prodere, tamen propter eluuiones, exustionesq. terrarum, quas

accidere

accidere tempore certo necesse est, non modo non æternam, sed ne diuturnam quidem gloriã assequi possumus. Quid autem interest, ab his, qui postea nascentur, sermonem fore de te, cum ab his nullus fuerit, qui ante nati sint? qui nec pauciores, & certe meliores fuerunt uiri, cum præsertim apud eos ipsos, à quibus nomen nostrum potest audiri, nemo unius anni memoriã consequi possit. homines enim populariter annũ tantũmodo solis, idest unius astri reditu metiuntur. cum autem ad idẽ, unde semel profecta sunt, cuncta astra redierint, eandemq. totius cœli descriptionem longis interuallis retulerint, tum ille uere uertens annus appellari potest, in quo uix dicere audeo quàm multa sæcula hominum teneantur. Nanque ut olim deficere sol hominibus extinguiq. uisus est, cum Romuli animus hæc ipsa in templa penetrauit, ita quandocunque eadem parte sol, eodemque tempore iterum defecerit, tum signis omnibus ad idem principium stellisque reuocatis, expletum annum habeto. Huius quidem anni nondum uigesimam partem scito esse conuersam. Quocirca si reditum in hunc locum desperaueris, in quo omnia sunt magnis et præstantibus uiris, quanti tantem est ista hominum gloria, quæ pertinere uix ad unius anni partem exiguam potest? igitur alte spectare si uoles,

uoles, atque ad hanc sedem et æternam domum contueri, neque sermonibus uulgi dederis te, nec in præmijs humanis spem posueris rerum tuarum, suis te illecebris oportet ipsam uirtus trahat ad uerum decus. Quid de te alij loquantur, ipsi uideant, sed loquentur tamen. Sermo autem omnis ille & angustijs cingitur his regionum, quas uides, nec unquam de ullo perennis fuit, et obruitur hominum interitu, et obliuione posteritatis extinguitur. Quæ cum dixisset, ego uero, inquam, ò Africane, siquidem bene meritis de patria quasi limes ad cœli aditum patet, quanquam a pueritia uestigijs ingressus patris & tuis decori uestro non defui, nunc tamen tanto præmio proposito enitar multo uigilantius. Et ille. Tu uero enitere, & sic habeto, te non esse mortalem, sed corpus hoc. nec enim is es, quem forma ista declarat, sed mens cuiusque is est quisque, non ea figura, quæ digito demonstrari potest. Deum te igitur scito esse: si quidem Deus est, qui uiget, qui sentit, qui meminit, qui præuidet, qui tam regit, & moderatur, & mouet id corpus, cui præpositus est, quàm hunc mundum princeps ille Deus: et ut ipse mundum ex quadam parte mortalem, ipse Deus æternus, sic fragile corpus animus sempiternus mouet. nam quod semper mouetur, æternum est, quod

quod autem motum affert alicui, quod ipsum agitatur aliunde, quando finem habet motus, uiuendi finem habeat necesse est. Solum igitur quod sese mouet, quia nunquam deseritur a se, nunquam ne moueri quidem desinit: quin etiam cæteris, quæ mouentur, hic fons, hoc principium est mouendi. principio autem nulla est origo. nam ex principio oriuntur omnia. ipsum autem nulla ex re fieri potest. nec enim esset hoc principium, quod gigneretur aliunde. Quod si nunquam oritur, nec occidit quidem unquam. Nam principium extinctum nec ipsum ab alio renascetur, nec ex se aliud creabit. Siquidem necesse est à principio omnia oriri. Ita fit, ut motus principium ex eo sit, quod ipsum à se mouetur. Id autem nec nasci potest, nec mori; uel concidat omne cœlum, omnisq. natura consistat necesse est, nec uim ullam nanciscatur, qua primo impulsu moueatur. Cum pateat igitur æternum id esse, quod à se ipso moueatur, quis est hic, qui hanc naturam animis esse tributam neget? Inanimatum est enim omne, quod impulsu agitatur externo. Quod autem anima est, id motu cietur interiore, & suo. Nam hæc est natura propria animæ, atque uis: quæ si est una ex omnibus, quæ sese moueat, neque nata est certe, & æterna est. Hanc tu exerce in optimis rebus.

bus. Sunt autem optimæ curæ de salute patriæ: quibus agitatus & exercitatus animus, uelociter in hanc sedem, & domum suam peruolabit. idq. ocyus faciet, si iam tum, cum erit inclusus in corpore, eminebit foras, & ea, quæ extra erunt, contemplans, quammaxime se à corpore abstrahet. Nam eorum animi, qui se corporis uoluptatibus dediderunt, earumque quasi se ministros præbuerunt, impulsuq. libidinum uoluptatibus obedientium, deorum & hominum iura uiolauerunt, corporibus elapsi circa terram ipsam uolutantur, nec in hunc locum, nisi multis exagitati sæculis, reuertuntur. Ille discessit: ego somno statim solutus sum.

M. Tullii Ciceronis de iure ciuili.

*

ALIQVO *excellente, ac nobile uiro.* Caris.

*

Nec uero scientia iuris maioribus suis Q. Aelius Tubero defuit, doctrina etiam superfuit. GELLIVS.

M. Tullii Ciceronis de auguriis.

*

OSCEN. Omnia ex Carisio.

*

Aui incerta.

Oscinis:

*

Oscinis.

M. Tullii Ciceronis de philosophia, siue Hortensius.

*

Non. Occupare. * *Et Paulum Marcelli occupauisse.*

*

Non. Annuere. *Quod cum uterque nostrum annuisset, omnesque ad id tempus, quod erat dictum, postero die uenissemus.*

*

Non. in Anima. *Nam cum omnis solertia admiranda est, tum ea, quæ efficit, ut, inanima quæ sunt, uiuere, & spirare uideantur.*

*

Non. Efferro. * *præter cæteras nostra extulit ciuitas.*

*

Non. Lentus. * *hunc Crassum, qui lentus (ut scitis) dicere solebat, ad imitationem quasi nostri generis contendisse.*

*

Non. Imbuere. Sufficere. *Vt ij, qui purpuram uolunt, sufficiunt prius lanam medicamentis quibusdam, sic litteris, talibusq. doctrinis ante excoli animos, & ad sapientiam concipiendam imbui, & præparari decet.*

Vt

*

Vt enim segetes agricolæ subigunt aratris multo ante quàm serant. Non. Subigere. Seges.

*

Quid enim aut Herodoto dulcius, aut Thucydide grauius, aut Philisto breuius, aut Theopompo acrius, aut Theophrasto mitius inueniri potest? Non. Graue. Non. Acre. Non. Mite.

*

Vnde autem facilius, quàm ex annalium monimentis, aut res bellica, aut omnis reip. disciplina cognoscitur? unde ad agendum, aut dicendum copia depromi maior grauissimorum exemplorum, quasi incorruptorum testimoniorum, potest? Non. Cognoscere. Non. Graue.

*

Perge quæso: nec enim imperite exorsus es. Non. Exordium.

Magna etiam animi contentio adhibenda est, explicando Aristotelem si legeris. Non. Contendere.

*

Sed ad extremum pollicetur probaturum quæ se ipsa comest, quod efficit dialecticorum ratio. NONIVS.

*

Quæro enim, non quibus intendam rebus animũ, sed quibus relaxem, & remittam. Non. Relaxo, Remitto.

*

Quando philosophi esse cœperunt? Thales, ut Lactan. l. 3. c. 15.

H *opinor,*

opinor, primus, recens hæc quidem ætas.

*

Aug. l. 3. cõtra Acad. *Id enim est sapientis prouidere, ex quo sapientia est appellata prudentia.*

*

Seruius. *Epicuri plures uolunt esse cœlos.*

*

Non. Vrgeo. *Itaque tunc Democriti manus urgebatur, est enim non magna.*

*

Seruius in 1. & 2. Aen. * *annum magnum esse uoluerunt omnibus planetis in eundem recurrentibus locum, quod fit post XII millia nongentos quinquaginta quatuor annos.*

*

AVGVST. *Beati certe omnes esse uolumus.*

*

Quantum inter se homines studentes moribus, omni uitæ ratione differant.

*

Non. Præfractum. *Hic contrarius Aristo Chius, præfractus, ferreus, nihil bonum, nisi quod rectum, & honestum est.*

*

Aug. Beata uita. *Ecce autem non philosophi quidem, sed prompti tamen ad disputandum homines, omnes aiunt esse beatos, qui uiuant, ut ipsi uelint.* AVGVST. *Falsum id quidem. Velle enim quod non deceat, id ipsum*

sum miserrimum est: nec tam miserum est non adipisci quod uelis, quàm adipisci uelle quod non oporteat.

*

Si deus unus est, quæ est beata solitudo queat. Lact. l. 1. c. 7.

*

Præcipiunt hoc isti, & facit nemo. Non. Præcipere.

*

Profecto omnis istorum disputatio, quanquam uberrimos fontes uirtutis, & scientiæ contineat, tamen, collata cum horum actis, perfectisq. rebus, uereor ne tantum uideatur attulisse negotijs hominum quandam oblectationem ocij. Lact. l. 3. c. 16.

*

Quæ est igitur philosophia Socrate, nec dubito, quin quæcunque sit lautitia, qui uictum elegantem magnifice, neque minus quàm deceret, colere instituisset. Non. Lautum.

*

Vidi in dolore podagræ nihilo ipsum, uel omnium maximum Stoicorum Possidonium, quàm Nicomachum Tyrium, hospitem meum, fortiorẽ. Non. de doct. ind.

*

* *eloquentiam tueri, quam tu in cœlum Hortensi, credo, ut ipse cum ea simul ascenderes, sustulisses.* Non. Sublatum.

*

Tu me & alias nonnunquam, & paulo ante adhortatus Non. Euentus.

hortatus es, aliorum facta et euenta conquirā.

*

Non. Sumo. Quare uelim dari mihi, Luculle, iubeas indicem tragicorum, ut sumam, qui forte mihi desunt:

*

Facessant igitur omnes, qui docere nihil possunt, quo melius, sapientiusq. uiuamus.

*

AVGVST. * prudentiæ partes sunt, memoria, intelligentia, prouidentia.

*

Aug. l. 4. Trinit. Si nobis, cum ex hac uita migrauerimus, in beatorum insulis immortale æuum, ut fabulæ ferunt, degere liceret, quid opus esset eloquentia? cum iudicia nulla fierent: aut ipsis etiam uirtutibus? nec enim fortitudinis egeremus, nullo proposito aut labore, aut periculo; nec iustitia, cum esset nihil, quod appeteretur alieni; nec temperantia, quæ regeret eas, quæ nullæ essent, libidines: nec prudentiæ quidem egeremus, nullo delectu proposito bonorum, et malorum. Vna igitur essemus beati cognitione naturæ, & scientia, quæ sola etiam deorum est uita laudanda. ex quo intelligi potest, cætera necessitatis esse, unum hoc uoluptatis.

*

Non. Capere. * deinde boni mores, & modestiores, et ad capienda præcepta molliores.

Altera

*

Non. Apti. Altera est nexa cum superiore, & inde apteque pendens.

*

Non. spectare. * Cœli signorum admirabilem ordinem, insatiabilemq. pulchritudinem magis spectant.

*

Aug. l. 4. c. 15. ciuit. * Vt easdem tenebras efficiat, quas effecit in interitu Romuli, qui in obscuratione Solis factus est.

*

NONIVS. Tu ne pseudomenos, & Soritam, & totam dialecticam aut illudis, aut increpas.

*

Non. Pressum. Quis te aut est, aut fuit unquam in partiundis rebus, in definiendis, in explanandis pressior?

*

Lact. l. 6. c. 2. Malo uel unum paruum de officio libellum, quàm longā orationē pro seditioso homine Cornelio.

*

Non. Conuenire. Nam quod uereris, ne non conueniat nostris ætatibus ista oratio, quæ spectat ad hortandum.

*

Non. Cædere. Aut tibi id ipsum peruertendum fuit, quod tu ne attigisti quidem: aut eius partes, quasi membra quædam, cædendæ.

*

Non. Acta. Quid tu, inquam soles, cum rationem ab dispensatore

ſatore accipis, ſi æra ſingula probaſti, ſummam, quæ ex his confecta ſit, non probare?

*

Non. Scripta. *Itaquè tibi concedo, quod in duodecim ſcriptis ſolemus, ut calculum reducas, ſi te alicuius dati pœnitet.*

*

Non. Gratificari. *Quare egredere quæſo, & gratificare reip.*

*

Non. Tollere. * *nihil tamen eſſe, in quo ſe animus excellens tollat.*

*

Non. Capere. *Captum me fortaſſe, inquit, tu putas, & id quod nollem confiteri coactum.*

*

Non. ſubducere. *An cum uideat me, & meos comites, fortitudinem, magnitudinem animi, patientiam, conſtantiam, grauitatem, fidem, ipſa ſe ſubducat?*

*

Priſc. l. 6. * *ut ait Ennius: Refugiat timido ſanguen, atque exalbeſcat metu.*

*

Non. Præſtare. *Itaque nec in philoſophia cuiquam ceſſit, & uitæ grauitate præſtitit.*

*

Non. Contemptus. * *magnitudo animi, patientia laborum, mortis denique contemptio.*

ut

*

Non. Detrahere. * *ut ea ſibi ratio uera reſtituat, quæ conſuetudo uitioſa detraxerit.*

*

Non. Deſpicere. *Conſolabitur eum magnitudo animi, & humanarum opinionum alta quædam deſpectio.*

*

Non. Reductum. *Habet enim ipſam certam definitam uiam, & ex ea multis uitijs, & erroribus deprauata deducitur.*

*

Non. Vindicare. * *deinde imitator, ut ſibi quidem uidetur, naturæ mos uindicat.*

*

Non. Exultare. *Imbecillis autem eſt pudoris magiſter timor, qui ſi quando paulùlum aberrauerit, ſtatim ſpe impunitatis exultat.*

*

SERVIVS. *Sufficit ad gloriam benefacti conſcientia.*

*

NONIVS. *Tum intelligas, quàm illud non ſit neceſſarium quod redundat.*

*

Non. Gliſco. * *ad iuuenilem libidinem, copia uoluptatum gliſcit illa, ut ignis oleo.*

*

Non. Verecundantur. *Hi noſtri amici uerecundantur capti ſplendore uirtutis.*

 Oratæ

*

Augustinus Vita Beata. *Oratæ, homini ditißimo, amœnißimo, delicatißimo, neque ad uoluptatem quicquam defuit, neque ad gratiam, neque ad bonā, integramq. ualetudinem. Nam & prædijs quæstuosißimis, amicis iucundißimis, quantum libuit, abundauit, & illis omnibus aptißime ad salutem corporis usus est: eiusq. (ut breuiter totum explicem) omne institutum, uoluntatemq. omnem successio prospera consecuta est.*

AVGVST.

*

Non. Balneæ. *Primus balneola suspendit, inclusit pisces.*

*

* *& amœnitate summa perfructus est.*

*

NONIVS. * *solertiamq. eam posset, uel in tegulis proseminare ostreas.*

*

Non. Summus. *Vixit ad summam senectutem ualetudine optima.*

*

Non. Inuitare. *Voluptates autem nulla ad res necessarias inuitamenta afferunt senibus.*

*

Aug. l. 4. cõtra Pelagium. Non. Conficere. *An uero uoluptates corporis expetendæ, quæ uere & grauiter à Platone dictæ sunt illecebræ esse atque escæ malorum? quæ enim confectio est ualetudinis, quæ deformatio coloris, & corporis; quod turpe damnum, quod dedecus, quod non euocetur, atque eliciatur uoluptate? cuius motus ut quisque est maximus, ita est inimicißimus philosophiæ. congruere enim cum cogitatione magna uoluptas corporis non potest. quis enim cum utatur uoluptate ea, qua nulla poßit maior esse, attendere animo, inire rationem, cogitare omnino quicquam potest? quis autem tantus est gurges, qui dies & noctes sine ulla minimi temporis intermisione uelit ita moueri suos sensus, ut mouentur in summis uoluptatibus? quis autem bona mente præditus non mallet nullas omnino nobis à natura uoluptates datas?*

*

AVGVST. * *tunc obsequatur naturæ, cum sine magistro senserit, quid natura desideret.*

*

Non. Vbi genitiuus pro ablatiuo. *Et qui expectat, pendet animi, quia semper, quid futurum sit, incertum est.*

*

Non. noxia à noxa. *Et cæteris quidem in rebus, in quibus peccata non maxime differunt, noxias tamen insciunt, attingunt.*

*

Non. Equuleus. *Vt igitur domitores equorum non uerbera solum adhibent ad domandum, sed cibum etiam sæpe subtrahunt, ut fame debilitetur equuleorum*

rum nimis effrenata uis.

*

Non.lentũ. Qui cum publicas iniurias lente tulisset, suam non tulit.

*

Non. Continens. In continentibus quidem terris uestrum nomen dilatari potest.

*

Non. Conficere. Ea facultas nostris maioribus erat, qui confectis senatusconsultis.

*

Non. Acre. * quod alterius ingenium, sic dulce, ut acetum Aegyptium, alterius sic acre, ut mel Hymettium dicimus.

*

Non. Fides. Ponendae sunt fides, & tibiae.

*

Non. Seuerum. Aliud ex syluis seuerum, & triste.

*

Non. Tenui. Eundem enim non modo mediocri pecunia, sed etiam tenue percipere possumus.

*

Non. Priores à primores. Qui ijdem nescio quid, quod in primoribus habent, ut aiunt, labris.

*

Non. Subducere. * non & sine ea cogitatione ineundis subducendisq. rationibus.

Ex

*

Aug. l. 4. cõtra Pelagium. Ex quibus humanae uitae erroribus, & aerumnis fit, ut interdũ ueteres illi, siue uates, siue in sacris, initijsq. tradendis diuinae mentis interpretes, qui nos ob aliqua scelera suscepta in uita superiore, poenarum luendarum causa natos esse dixerunt, aliquid uidisse uideantur, uerumque sit illud, quod est apud Aristotelem, simili nos affectos esse supplicio, atque eos, qui quondam, quum in praedonum Etruscorum manus incidissent, crudelitate excogitata necabantur; quorum corpora uiua cum mortuis, aduersa aduersis accommodata, quamaptissime colligabantur, ita nostros animos cum corporibus copulatos, ut uiuos cũ mortuis esse coniunctos.

*

Non. Appendix. Vidit enim, quod uidendum fuit, appendicem animi esse corpus, nihilq. in eo esse magnum.

*

AVGVST. Quae nobis dies noctesq. considerantibus, acuentibusq. intelligentiam, quae est mentis acies, cauentibusque, ne quando illa hebescat, magna spes est, aut si hoc, quod sentimus & sapimus, mortale & caducum est, iucundum nobis, perfunctis muneribus humanis, occasum, neque molestam extinctionem & quasi quietem uitae fore: aut si, ut antiquis philosophis, hisq. maximis longeq. clariss. placuit, aeternos ani-

animos ac diuinos habemus, sic existimandum est, quo magis hi fuerint semper in suo cursu, id est in ratione & inuestigandi cupiditate, & quo minus se admiscuerint atque implicuerint hominum uitijs atque erroribus, hoc illis faciliorem ascensum & reditum in cœlum fore. Quapropter ut aliquando terminetur oratió, si aut extingui tranquille uolumus, cum his artibus uixerimus, aut si ex hac in aliam haud paulo meliorem domum sine mora demigrare, in his studijs nobis omnis opera & cura ponenda est.

M. Tullii Ciceronis Cato.

*

Macr. l. c. 2. CONTINGEBAT in eo, quod plerisque contra solet, ut maiora omnia re, quàm fama uiderentur, id quod non sæpe euenit, ut expectatio cognitione, aures ab oculis uincerentur.

*

M. Tulli Ciceronis de Gloria lib. I.

*

Caris. IN Tusculanum mihi nuntiabantur gladiatorij sibili.

Oppi-

*

Oppidorum appellationem usurpatione appellatam esse existimo, quòd opem darent. FESTVS.

*

M. Tullii Ciceronis de Gloria lib. II.

*

APVD eundem poetam Aiax cum Hectore congrediens depugnandi causa agit, ut sepeliatur, si sit forte uictus, declaratq. se uelle, ut suum tumulum multis etiam post sæculis prætereuntes, sic loquantur. Gell. l. 15. c. 6.

Hic situs est uitæ iampridem lumina linquens,
Qui quondam Hectoreo perculsus cócidit ense.
Fabitur hoc aliquis, mea semper gloria uiuet.

*

Quo stante, & incolume. CARISIVS

*

M. Tullii Ciceronis de Consolatione liber.

*

CRANTOREM sequor. PLINIVS.

*

Iccirco nati sumus, ut scelerum pœnas lueremus. LACTAN.

*

Non nasci longe optimum, nec in hos scopulos incidere Lact. l. 2. c. 19.

cidere

cidere uitæ. Proximum autem, si natus sis, quamprimum mori, & tanquam ex incendio effugere fortunæ.

*

Lact. l. 3. c. 14.

Sed nescio, qui nos teneat error, aut miserabilis ignoratio ueri.

*

Cic. Thus. 1. Lact. ira. c. 10. l. 1. c. 5. Instit.

Animorum nulla in terris origo inueniri potest. Nihil enim est in animis mixtum, atque concretum, aut quod ex terra natum, atque fictum esse uideatur; nihil ne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum. his enim in naturis nihil inest, quod uim memoriæ, mentis, cogitationis habeat, quod & præterita teneat, & futura prouideat, & complecti possit præsentia; quæ sola diuina sunt. Nec inuenietur unquam, unde ad hominem uenire possint, nisi à Deo. Singularis est igitur quædam natura, atque uis animi, seiuncta ab his usitatis, notisq. naturis. Ita quicquid est illud, quod sapit, quod uult, quod uiget, cœleste, & diuinum est, ob eamq. rem æternum sit necesse est. nec uero Deus ipse, qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quædam, & libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens, & mouens, ipsaq. prædita motu sempiterno.

*

Lact. l. 1. c. 15.

Cum uero & mares, & fœminas complures ex hominibus in deorum numero esse uideamus, & eorum in urbibus, atque agris augustissima templa ueneremur, assentiamur eorum sapientiæ, quorum ingenijs, & inuentis omnem uitam legibus, & institutis excultam constitutamq. habemus. Quòd si ullum unquam animal consecrandum fuit, illud profecto fuit. si Cadmi, aut Amphionis progenies, aut Tyndari in cœlum tollenda fama fuit, huic idem honos certe dicandus est. quod quidem faciam, teq. omnium optimam, doctissimamque, approbantibus dijs immortalibus ipsis, in eorum cœtu locatam, ad opinionem omnium mortalium consecrabo.

*

Lact. l. 3. c. 19.

Nec enim omnibus ijdem illi sapientes arbitrati sunt eundem cursum in cœlum patere. nam uitijs, & sceleribus contaminatos deprimi in tenebras, atque in cœno iacere docuerunt; castos autem, puros, integros, incorruptos, bonis etiam studijs, atque artibus expolitos, leni quodam ac facili lapsu ad Deos, id est ad naturam sui similem peruolare.

*

Lact. l. 3. c. 28.

Cedo, & manum tollo.

*

De ſuis conſiliis, uel expoſitio ſuorum conſiliorum.

*

BORTH. *Sed ut aliqua ſimilitudine adductus, maximis minima conferam, ut cum uinolenti adoleſcentes, tibiarum etiam cantu, ut fit, inſtincti, mulieris pudicæ fores frangerent, admonuiſſe tibicinam, ut ſpondæum caneret, Pythagoras dicitur: quod cum illa feciſſet, tarditate modorum, & grauitate cantus, illorum furentem petulantiam reſediſſe.*

*

Ad M. Tullii Ciceronis ad Varronem Academicorum lib. I.

*

Non. Digladiari. QVID *autem ſtomachetur Mneſarchus, quid Antipater digladietur cum Carneade tot uoluminibus?*

*

Ad lib. II. Academicorum ad Varronem.

*

Non. Adhamare. QVI *enim ſerius honores adhamauerunt, uix admittuntur ad eos, nec ſatis commendati multitudini poſſunt eſſe.*

*

Frangere auaritiam, ſcelera ponere, uitam ſuam exponere ad imitandum iuuentuti. Non. Exponere.

*

Quid? Lunæ quæ lineamenta ſunt. potes ne dicere, cur eius naſcentis alias hebetiora, alias acutiora uideantur cornua? Non. Hebes.

*

Quid? mare non ne cæruleum? at eius unda, cum eſt pulſa remis, purpuraſcit, & quidem aqua tinctum quodammodo, & infectum? Non. Purpuraſcit.

*

Quid tam planum uidetur, quàm mare? ex quo etiam æquor illud poetæ uocant. Non. Aequor.

*

Quibus etiam alabaſter plenus unguenti putere uideatur. Non. Alabaſter.

*

Alius adultis, alius ſenibus, alius ægris, alius ſiccis, alius uinolentis. Non. Siccũ.

*

Si quando enim nos demerſimus, ut qui urinantur, aut nihil ſuperum, aut obſcure admodum cernimus. Non. Vrinari.

*

Atqui, ſi id crederemus, non egeremus perpendiculis, non normis, non regulis. Non. Perpendiculi.

*

Non. Gallina. *Cum ouum inſpexerant, quæ gallina peperiſſet, dicere ſolebant.*

*

Diomed. *Opera affixa.*

*

Ad lib. III. Academicorum ad Varronem.

*

Non. Ingenerari. IN *tanta animalium uarietate homini ut ſoli cupiditas ingeneraretur cognitionis & ſcientiæ.*

*

Non. Vindico. *Aliqua poteſtas ſi ſit, uindicet ſe in libertatem.*

*

Non. Digladiari. *Digladiari autem ſemper, depugnare in facinoroſis, & audacibus, quis non cum miſerrimum, tum etiam ſtultiſſimum dixerit?*

*

Non. Exulto. *Et ut nos nunc ſedemus ad Lucrinum, piſciculosq́. exultantes uidemus.*

*

Lact. l. 6. c. 24. *Quod ſi liceret ut iis, qui in itinere deerrauiſſent, ſic uitam deuiam ſecutis corrigere errorem pœnitendo, facilior eſſet emendatio temeritatis.*

Ad lib. incertum Academicorum ad Varronem.

*

MIHI *autem non modo ad ſapientiam cæci uidemur, ſed ad ea ipſa, quæ aliqua ex parte cerni uideantur, hebetes & obtuſi.* Lact. l. 3. c. 15.

*

Latent iſta omnia Varro, magnis obſcurata, & circumfuſa tenebris.

*

Academico ſapienti ab omnibus ceterarum ſectarum, qui ſibi ſapientes uiderentur, ſecundæ partes dantur, cum primas ſibi quenque uendicare neceſſe ſit, ex quo poteſt probabiliter confici, eum recte primum eſſe iudicio ſuo, qui omnium cæterorum iudicio ſit ſecundus. Fac enim, uerbi cauſa, Stoicum adeſſe ſapientem. nam contra eos potiſſimum Academicorum exarſit ingenium. Ergo Zeno, uel Chryſippus ſi interrogentur, quid ſit ſapiens, reſpondebit eum eſſe, quem ipſe deſcripſerit. Contra Epicurus, uel quis alius aduerſariorum negabit, ſuumq́. potius peritiſſimum uoluptatum aucupem ſapientem eſſe contendet. Inde ad iurgium. Clamat Zeno, & tota illa porticus tumultuatur, hominem natum ad nihil eſſe aliud, quàm honeſtatem: ipſam ſuo ſplendore in ſe ani AVGVST.

mos ducere, nullo prorsus commodo extrinsecus posito, & quasi lenocinante mercede, uoluptatemq. illam Epicuri solis inter se pecoribus esse communem, in quorum societatem & hominem, & sapientem trudere nefas esse. Contra ille, conuocata de hortulis in auxilium quasi libera turba temulentorum, quærentium tantum, quem incomptis unguibus bacchantes asperoque ore discerpant, uoluptatis nomen, suauitatem, quietem teste populo exaggerans, instat acriter, ut, nisi ea, beatus nemo esse posse uideatur. In quorum rixam si Academicus incurrerit, utrosque audiet trahentes se ad suas partes. sed si in illos, aut in istos concesserit, ab eis, quos deserit, insanus, imperitus, temerariusque clamabitur. Itaque cum & hac, & illac aurem diligentem admouerit, interrogatus quid ei uideatur, dubitare se dicet. Roga nunc Stoicum, qui sit melior, Epicurus ne, qui delirare illum clamat, an Academicus, qui sibi adhuc de re tanta deliberandum esse pronuntiat? nemo dubitat Academicum prælatum iri. Rursus te ad illum conuerte, & quære, quem magis amet, Zenonem, à quo bestia nominatur, an Arcesilam, à quo audit, tu fortasse uerum dicis, sed requiram diligentius. non ne apertum est totam illam porticum insanam, Academicos autem præ illis modestos, cautosq. homines uideri Epicuro?

*

Mos fuit Academicis occultandi sentētiam suam, nec eam cuiquam, nisi qui secum ad senectutem usque uixissent, aperiendi. AVGVST.

*

Ad lib. de natura Deorum III.

*

PRIMVM igitur non est probabile, eam materiam rerum, unde orta sunt omnia, esse diuina prouidentia effectam, sed habere & habuisse uim, & naturam suam. Vt igitur faber, cū quid ædificaturus est, non ipse facit materiam, sed ea utitur, quæ sit parata, fictorq. item cera, sic isti prouidentiæ diuinæ materiam præsto esse oportuit, non quam ipse faceret, sed quam haberet paratam. quod si non est à Deo materia facta, ne terra quidem, & aqua, & aer, & ignis à Deo factus est. Lact. l. 2. c. 9.

*

Non sunt ista uulgo disputanda, ne susceptas publicé religiones disputatio talis extinguat. LACTAN.

Ad lib. I. de Diuinatione.

*

PRAETEREA similiter cohortatione circum DIOMED.

cum conciliabula antecellunt.

*

Ad lib. I. de legibus.

*

Lact. l. 5. c. 8. SICVT *una eademq. natura mundus omnibus partibus inter se congruentibus cohæret, ac nititur, sic omnes homines inter se natura confusi prauitate dissentiunt, nec se intelligunt esse consanguineos, & subiectos omnes sub unam, eandemque tutelam: quod si teneretur, deorum profecto uitam omnes uiuerent:*

Ad lib. II. de legibus.

*

Lact. l. I. c. 20. MAGNVM, *audaxque consilium Græcia suscepit, quòd Cupidinum, & Amorum simulacra in gymnasiis consecrauit.*

*

Ad lib. V. de legibus.

*

Macr. l. 6. VIS NE *igitur, quoniam sol paululum à meridie iam deuexus uidetur, neque dum satis ab his nouellis arboribus omnis hic locus opacatur, descendamus ad Lirim, eaq. quæ restant, in illis aluorum umbraculis persequamur?*

*

Ad librum incertum de legibus.

*

GRATVLEMVRQ. *nobis, quoniã mors aut meliorem, quàm qui est in uita, aut certe non deteriorem est allatura statum. nam sine corpore animo uigente diuina est uita, sensu carenti nihil profecto est mali.* Lact. l. 3. c. 19.

*

Octo pœnarum genera in legibus continentur, damnum, uincula, uerbera, tulio, ignominia, exilium, mors, seruitus. AVGVST.

Ad lib. de fato.

*

Macr. l. 3. NAM *cum esset apud se ad Lauernium Scipio, unaq. Pontius, allatus forte Scipioni acipenser, qui admodum raro capitur, sed est piscis, ut ferunt, in primis nobilis. Cum autem Scipio unum & alterum ex ijs, qui eum salutatum uenerant, inuitasset, pluresque etiam inuitaturus uideretur, in aurem Pontius, Scipio, inquit, uide quid agas. acipenser iste paucorum hominum est.*

Ad Timæum ex Platone.

*

Non. Curriculum. RATIONE igitur, & mente diuina ad originem temporis curriculum inuentum est Solis, & Lunæ.

*

PRISC. * Defenstrix.

*

M. TVLLII CICERONIS FRAGMENTORVM TOMVS QVARTVS,

Qui poemata continet, & quædam incerta.

M. TVLLII CICERONIS PHAENOMENA EX ARATO.

AB Ioue Musarum primordia. CICERO.

*

Malebant tenui contenti uiuere cultu. LACTAN.

*

Et Iouis in regno cœliq. in parte resedit. LACTAN.

*

Cætera labuntur celeri cœlestia motu, CICERO.
Cum cœloq. simul noctesq. diesq. feruntur.
Extremusq. adeo duplici de cardine uertex
Dicitur esse polus.

*

Ex his altera apud Graios Cynosura uocatur, CICERO.
Altera dicitur esse Helice.
Quas nostri septem soliti uocitare triones.
Hac fidunt duce nocturna Phœnices in alto,
Sed prior illa magis stellis distincta refulget,

Et

Et late prima confestim à nocte uidetur,
Hæc uero parua est: sed nautis usus in hac est.
Nam cursu interiore breui conuertitur orbe.
Has inter, ueluti rapido cum gurgite flumen,
Toruu' Draco serpit subter, supraq. reuoluens
Sese, conficiensq. sinus è corpore flexos.
Huic non una modò caput ornans stella relucet,
Verum tempora sunt duplici fulgore notata,
E trucibusq. oculis duo feruida lumina flagrant.
Atque uno mentum radianti sidere lucet:
Obstipum caput & tereti ceruice reflexum,
Obtutum in cauda maioris figere dicas.
Hoc caput hic paulum sese subitoq. recondit
Ortus ubi atque obitus parte admiscentur in una.

* *id caput autem.*

CICERO. *Attingens defessa uelut mœrentis imago*
Vertitur. *

CICERO. *Egonasim uocitant, genibus quia nixa feratur.*
Hic illa eximio posita est fulgore corona.

*

CICERO. *Quem claro perhibent Ophiucum nomine Graij.*
Hic pressu duplici palmarum continet Anguem,
Eius & ipse manct religatus corpore toto.
Nanque uirum mediû serpens sub pectora cingit,
Ille tamen nitens grauiter uestigia ponit,
Atque oculos urget pedibus, pectusq. Nepai.

*

CICERO. *Arctophylax uulgo qui dicitur esse Bootes:*

Quod

Quod quasi temone adiunctā præ se quatit Arctū.

*

* *subter præcordia fixa uidetur* CICERO.
Stella micans radijs Arcturus nomine claro.

*

Spicum illustre tenens splendenti corpore Virgo. CICERO.

*

Et natos Germinos inuises sub caput Arcti:
Magnu' Leo tremulā quatiens è corpore flāmam.
Auriga *
Sub læua Geminorum obductus parte feretur.
Aduersum caput huic Helice truculenta tuetur.
At capra læuum humerum claro obtinet.

*

Verū hæc est magno atque illustri prædita signo. CICERO.
Contra Hœdi exiguum iaciunt mortalibus ignem.
Cuius sub pedibus *
Corniger est ualido connexus corpore Taurus.

*

Has Græci stellas Hyadas uocitare suerunt: CICERO.

*

Nanque ipsum ad tergū Cynosuræ uertitur Arcti CICERO.

*

Obscura specie stellarum Casiopea. CICERO.
Hanc autem illustri uersatur corpore propter
Andromeda, aufugiens aspectum mœsta parētis.
Huic Equus ille iubam quatiens fulgore micanti
Summum contingit caput aluo: stellaq. iungens

Vna

Vna, tenet duplices communi lumine formas,
Aeternum ex astris cupiens connectere nodum.
Ex in contortis Aries cum cornibus hæret.

*

Ex fragmẽtis Arati, quæ extant

E quibus hinc subter possis cognoscere fultum:
Iam cœli mediam partem terit, ut prius illæ
Chelæ, quum pectus quod cernitur Orionis
Et prope conspiciens paruum sub pectore claro
Δ *Andromedæ signum, Deltoton dicere Graij*
Quod soliti, simili quia forma littera claret:
Huic spatio ductum simili latus extat utrunque.
At non tertia pars lateris: nam non minor illis,
Sed stellis longe densis præclara relucet.
Inferior paulo est Aries & flamen ad Austri
Inclinatior, atque etiam uehementius illo
Pisces, quorum alter paulo prælabitur ante,
Et magis horrisonis Aquilonis tangitur alis,
Atque horũ ex caudis duplices uelut esse catenæ
Dicantur, sua diuersæ per lumina serpunt,
Atque una tandem in stella communiter hærent,
Quam ueteres soliti cœlestem dicere nodum.
Andromedæ læuo ex humero siqua exere perges.
At positum poteris supra cognoscere Piscem
E pedibus uatum summo natus Ioue Perseus
Quos humeros retinet defixo corpore Perseus.
Quẽ summa ab regione Aquilonis flamina pulsát.
Hic dextram ad sedes intendit Cassiopeæ,
Diuersosq. pedes uinctos talaribus aptis

Pul-

Puluerulentus uti de terra lapsu' repente
In cœlum uictor magnum sub culmine portat.
At propter læuum genus omni ex parte locatas Prisc. l. 6.
Paruas uergilias tenui cum luce uidebis,
Hæ septem uulgo perhibentur more uetusto,
Stellæ cernuntur uero sex undique paruæ,
At non interijsse putari conuenit unam,
Sed frustra temere a uulgi ratione sine ulla
Septem dicier, ut ueteres statuere poetæ.
Aeterno cunctas æuo qui nomine dignant,
Alcyone, Meropeque, Celeno, Taygeteque,
Electra, Steropeque, simul sanctissima Maia:
Hæ tenues paruo labentes lumine lucent.
At magnum nomen signi, clarumq. uocatur,
Propterea quòd ad æstatis primordia clarent,
Et post hiberni præpandens temporis ortus
Admonet ut mandent mortales semina terris,
Inde fides leuiter posita, & connexa uidetur
Mercurius paruus manibus quam dicitur olim
Infirmis fabricatus in alta sede locasse,
Quod genus ad læuum nixi delapsa resedit, Prisc. l. 6.
Atque inter flexum genus & caput Alitis hæsit.
Nanque est Ales auis lato sub tegmine cœli,
Quæ uolat, & serpens geminis secat aera pennis.
Altera pars huic obscura est, & luminis expers.
Altera nec paruis, nec claris lucibus ardet,
Sed mediocre iacit quatiens è corpore lumen.
Hæc dextram Cephei dextro pede pellere palmam

Gestit:

Gestit: iam uero cliuata est ungula uehemens
Fortis equi propter pennati corporis alam,
Ipse autem labens multis equus ille tenetur
Piscibus: hinc ceruix dextra mulcetur Aquari
Prisc. l. 7. initio. *Serius: hæc obitus terrai iussit equinis*
Quàm gelidum ualido de corpore frigus anhelans
Prisc. l. 6. *Corpore semifero magno Capricornus in orbe,*
Quem quum perpetuo uestiuit lumine Titan;
Brumali flectens contorquet tempore cursum.
Hoc caue te ponto studeas committere mense:
Nam non longinquum spatium labere diurnum.
Non hiberna cito uoluetur curriculo nox:
Humida non sese uestris aurora querelis
Ocyus ostendet clari prænuntia solis.
At ualidis æquor pulsauit uiribus Auster,
Tum fixum tremulo quatietur frigore corpus.
Sed tamen anni iam labuntur tempore toto,
Nec cui signorum cedunt, neque flamina uitant,
Nec metuunt canos minitanti murmure fluctus:
Atque etiam super hos naui pelagoq. uagato
Mense sagittipotens solis cum sustinet orbem.
Nam iá quũ minus exiguo lux tẽpore præsto est,
Hoc signum ueniens poterunt prænoscere nautæ:
Iam prope præcipiti ante licebit uisere nocti
Vt sese ostendens emergit Scorpios alte,
Posteriore trahens flexum ui corporis arcum.
Iam supera cernes Arcti caput esse minoris,
Et magis erectum ad summum uersarier orbem.

Tum

Tum sese Orion toto iam corpore condit
Extrema prope nocte, & Cepheus conditur ante,
Lumborum tenus à prima depulsus ad undas.
Hic misso reuocans fulgens iacet una sagitta.
Quam propter nitens penna conuoluitur Ales,
Et cliuata magis paulo est Aquilonis ad auras.
At propter se Aquila ardẽti cum corpore portat
Igniferum mulgens tremebundis æthera pennis,
Non minus ingenti cum corpore, sed graue mæstis
Ostendit nautis perturbans æquora signum.
Tum magni curuus Capricorni corpora propter Prisc. l. 6.
Delphinus iacet haud nimio lustratu nitore,
Præter quadruplices stellas in fronte locatas,
Quas interuallum binas disterminat unum.
Cætera pars læta tenui cum lumine serpit.
Illæ quæ fulgent luces ex ore corusco,
Sunt inter partes gelidas Aquilone locatas
Atque inter spatium & læti uestigia solis:
At pars inferior Delphini fusca uidetur
Inter solis iter, simul inter flamina uenti
Viribus erumpit qua summi spiritus Austri.
Ex inde Orion obliquo corpore nitens
Inferiora tenet truculenti corpora Tauri:
Quem qui suspiciet in cœlum nocte serena
Læte dispersum non uiderit, abdita uero
Cætera se speret cognoscere signa potesse.
Nanque pedes subter rutilo cum lumine claret
Feruidus ille Canis stellarum luce refulgens.

Hunc

Hunc tegit obscurus subter præcordia Vesper:
Ver toto spirans rabido de corpore flammam
Aestiferos ualidis erumpit flatibus ignes.
Totus ab ore micans iacitur mortalibus ardor.
Hic ubi se pariter quum solem lumina cœli
Extulit, haud patitur foliorum tegmine frustra
Suspensos animos arbusta ornata tenere.
Nam quorum stirpeis tellus amplexa prehendit,
Hæc augens animali uitai flamina mulcet.
At quorum nequeunt radices findere terras,
Denudat folijs ramos & cortice truncos.
Hunc propter, subterq. pedes quos diximus ante
Oriona iacet leuipes Lepus, hic fugit ictus:
Horrificos metuens rostri tremebundus acuti.
Nam Canis infesto sequitur uestigia cursu
Præcipitantem agitans, oriens iam denique paulo
Curriculum nunquam defesso corpore sedans.
At Canis ad caudam serpens prælabitur Argo,
Conuersam præ se portans cum lumine puppim:
Non aliæ naues ut in alto pondere proras
Ante solent rostro Neptunia prata secantes,
Sed conuersa retro cœli semper loca portat:
Sicut quum cœptant tutos constringere portus,
Obuertunt nauem magno cum pondere nautæ,
Aduersamq. trahunt optata ad littora puppim,
Sic conuersa uetus super æthera uertitur Argo,
Atque usque à prora ad cœlum sine lumine malũ,
A malo ad puppim cum lumine clara uidetur
Inde

Inde gubernaclum disperso lumine fulgens,
Clari posteriora Canis uestigia condit.
Exin semotam procul in tutoq. locatam
Andromedã tamẽ explorãs fera quærere Pistrix
Pergit, et usque sitã ualidas Aquilonis ad auras
Cærula uestigat finita in partibus astra.
Hanc Aries tegit, & squamosi corpore Pisces
Fluminis illustri tangentem corpora ripas.
Nanque etiam Eridanum cernes in parte locatũ
Cœli, funestum magnis cum uiribus amnem.
Quem lachrymis mœstæ Phaethontis sæpe sorores
Sparserunt, letum mœrenti uoce canentes.
Hunc Orionis sub læua cernere planta
Serpentem poteris, proceraq. uincla uidebis,
Quæ retinent Pisces caudarum parte locata
Flumine mixta retro ad Pistricis terga reuerti.
Hanc una stella uertuntur, quam iacit ex se
Pistricis spinæ ualida cum luce refulgens.
Exinde exiguæ tenui cum lumine multæ
Inter Pistricem fusæ sparsæq. uidentur,
Atque gubernaclum stellæ, quas contigit omnis
Formidãs acrem morsum Lepus: his neque nomẽ
Nec formam ueteres certam statuisse uidentur.
Nam quæ syderibus claris natura poliuit,
Et uario pinxit distinguens lumine formas,
Hæc ille astrorum custos ratione notauit,
Signaq. signauit cœlestia nomine uero.
Has autem quæ sunt paruo sub culmine fusæ
K Consimili

Consimili specie stellas, parilique nitore,
Non potuit nobis nota clarere figura.
Exinde australem soliti conuincere Piscem
Voluitur inferior Capricorno uersus ad Austrum,
Pistricem obseruans, procul illis Piscibus hærens,
Et prope conspicies experteis nominis omnes
Inter Pistricem & Piscem quem diximus Austri
Stellas sub pedibus stratas radiantis Aquari,
Propter Aquarius obscurum dextra rigat amnẽ
Exiguo qui stellarum candore intescit.
E multis tamen is duo late lumina fulgent,
Vnum sub magnis pedibus cernetur Aquari:
Quod superest gelido delapsum flumine fontis
Spiniferam subter caudam Pistricis adhæsit:
Et tenues stellæ perhibentur nomine Aquari.
Hic aliæ uolitant paruo cum lumine claræ,
Atq. priore pedum subeunt uestigia magni
Arcitenentis & obscure sine nomine condunt.
Inde Nepæ cernes propter fulgentis acumen
Aram quam flatu permulcet spiritus Austri,
Exiguo superum quæ lumina tempore tranat:
Nam procul Arcturo est aduersa parte locata,
Arcturo magnum spatium supra dedit: orbem
Iuppiter hunc paruum inferiore in parte locauit.
Hic tamen æterno inuisens loca curriculo nox,
Signa dedit nautis, cuncti quæ noscere possent,
Commiserans hominum metuẽdos undique casus,
Nam quum fulgentem cernes sine nubibus atris
Aram

Aram sub media cœli regione locatam,
A summa parte obscura caligine tectam,
Tum ualidis fugito deuitans uiribus Austrum;
Quem si prospiciens uitaueris omnia caute,
Armamenta locans tuto labere per undas,
Sin grauis inciderit uehementi flamine uentus,
Perfringet celsos defixo robore malos:
Vt res nulla feras possit mulcere procellas,
Ni parte ex Aquilonis opacam pellere nubem
Cœperit, & subitis auris diduxerit ara.
Si numeros medio in cœlo Centaurus habebit,
Ipseq. cærulea contectus nube feretur,
Atque aram tenui caligans uestiet umbra,
Ad signorum obitum uis est metuenda Fauoni,
Ille autem Centaurus in alta sede locatus,
Qua sese claro collucens Scorpios infert,
Hæc subter partem perportans ipse uirilem
Cedit, Equi partis properat coniungere Chelis,
Hic dextrã porgens quadrupes qua uasta tenetur,
Quam nemo certe donauit nomine Graium,
Tendit, & illustrem truculentus cædit ad aram.
Hic sese inferni de partibus erigit Hydra
Præcipiti lapsu flexo cum corpore serpens.
Hæc caput atque oculos torqueri ad terga Nepai,
Connexoq. sinu subiens inferna Leonis
Centaurum leni contingit lubrica cauda,
In medioq. sinu fulgens cratera relucet,
Extrema nitens plumato corpore Coruus

 Rostro

Roſtro tundit & hic, Geminis eſt ille ſub ipſis
Antecanem Graio Procyon qui nomine fertur.
Hæc ſunt quæ uiſens nocturno tempore ſigna
Legitimo cernes cœli luſtrantia curſu,
Aeternumq. uolens mundi pernoſcere motum.
Nam quæ per bis ſex ſignorum labier orbes
Quinque ſolent ſtellæ, ſimili ratione notari
Non poſſunt: quia quæ faciunt ueſtigia curſu,
Non eodem ſemper ſpatio portata teruntur,
Sic malunt errare uagæ per nubila cœli,
Atque ſuos uario motu metirier orbes.
Hæc faciunt magnos longinqui temporis annos,
Quum redeunt ad idem cœli ſub tegmine ſignum.
Quare ego nunc nequeo totos euoluere curſus.
Verum hæc quæ ſemper certo euoluuntur in orbe
Fixa ſimul magno ſedem gentibus orbes
Quattuor æterno luſtrantes lumine mundum.
Orbis ſtelligeri portantes ſigna feruntur
Amplexi terra cœli ſub tegmine fulti.
E quibus annorum uolitantia lumina noſces,
Quæ denſis diſtincta licebit cernere ſignis,
Tum magnos orbis magno cum lumine latos,
Vinctos inter ſe, & nodis cœleſtibus aptos,
Atque pari ſpatio duo cernes eſſe duobus.
Nec ſic nocturno cognoſcens tempore cœlum,
Quum neque caligans detergit ſydera nubes,
Nec pleno ſtellas ſuperaret lumine Luna,
Vidiſti magnum candentem ſerpere circum,

Lacteus hic nimio fulgens candore notatur.
His non perpetuum detexens conficit orbem,
Sed ſpatio multum ſupereſt præſtare duobus:
Dicitur & late cœli luſtrare cauernas.
Quorum alter tangens Aquilonis uertitur auras
Ora petens Geminorum illuſtratũ genus ardens,
In ſeſe retinens Auriga portat utrunque.
Hunc ſupera læua Perſeus humeroq. ſiniſtro
Tãgit, ad Andromedã hic dextra de parte tenetur,
Imponitq. pedes duplices Equus, & ſimul Ales
Ponit auis caput, & clinato corpore tergum.
Anguitenens humeris connititur. illa recedens
Auſtrum conſequitur deuitans corpore Virgo.
At uero totum ſpatium conueſtit & orbis
Magnũ Leo, & claro collucens lumine Cancer,
In quo conſiſtens conuertit curriculum ſol
Aeſtiuus, medio diſtinguens corpore curſus.
Hic totus medius circo diſiungitur ipſe
Pectoribus ualidis, atque aluo poſſidet orbem.
Hunc octo in parteis diuiſum noſcere circum
Si potes, inuenies ſupero conuertier orbe
Quinque pari ſpatio, partes tres eſſe relictas,
Tempore nocturno quaſuis inferna frequentet.
Alter ab infernis Auſtri conuertitur auris.
Arcitenens humeris connititur: illa recedens
Diſtribuens medium ſubter ſecat hic Capricornũ,
Atque pedes gelidum riuum fundentis Aquari,
Cæruleaq. feram caudam Piſtricis, & illum

Fulgētē Leporē, inde pedes Canis, et ſimul amplā
Argolicam retinet crebro cum lumine Nauem,
Tergaq. Centauri atque Nepai portat acumen:
Inde Sagittari defixum poſſidet arcum,
Hunc à clariſonis auris Aquilonis ad Auſtrum,
Condens poſtremum tangit rota feruida ſolis,
Exinde in ſuperas brumali tempore flexu
Se recipit ſedes: hinc orbi quinque tributæ
Nocturnæ partes ſupera tres luce dicantur.
Haſce inter mediam in partem retinere uidetur,
Tantus quantus erit collucens lacteus orbis,
In quo autumnali atque iterum ſol lumine uerno
Exæquat ſpatium lucis cum tempore noctis.
Hunc retinens Aries ſublucet corpore totus,
Atque genuflexo Taurus connititur ingens.
Orion claro contingens corpore fertur.
Hydra tenet flexu Crateram, coruus adhæret.
Et paucæ Chelis ſtellæ ſimul Anguitenentis
Sunt genua, & ſummi Iouis Ales nuntius inſtat.
Propter Equus capite & ceruicum lumine tāgit.
Hoſce æquo ſpatio deuinctos ſuſtinet axis,
Per medios ſummo cœli de uertice tranans.
Ille autem claro quartus cum lumine circus
Partibus extremis extremos continet orbes,
Et ſimul à medio media de parte ſecatur,
Atque obliquus in his nitens cum lumine fertur:
Vt nemo, cui ſancta manu doctiſſima Pallas
Solertem ipſa dedit fabricæ rationibus artem.

Tam tornare cate contortus,
Quàm ſunt in cœlo diuino lumine flexi
Terram cingentes, ornantes lumine mundum,
Culmine tranſuerſo retinentes ſydera fulta.
Quattuor in motus cuncti uoluuntur eodem:
Sed tantum ſupra terras ſemper tenet ille.
Curriculum oblique inflexus tribus orbibus unus,
Quanto eſt diuiſus Cancer ſpatio à Capricorno,
Ac ſubter terras ſpatium par eſſe neceſſe eſt,
Et quantos radios iacimus de lumine noſtro,
Queis lune conuexum cœli contingimus orbem,
Sex tantæ poterunt ſub eum ſuccedere partes,
Bina pari ſpatio cœleſtia ſigna tenentes.
Zodiacum hunc Græci uocitant, noſtriq. Latini
Orbem ſigniferum perhibebunt nomine uero:
Nam gerit hic uoluens bis ſex ardentia ſigna.
Aeſtifer eſt pandens feruentia ſydera Cancer.
Hunc ſubterfulgens cedit uis torua Leonis,
Quem rutilo ſequitur collucens corpore Virgo.
Exin proiectæ claro cum lumine Chelæ.
Ipſaq. conſequitur lucens uis magna Nepai:
Inde Sagittipotens dextra flexum tenet arcum.
Poſt hunc ore fero Capricornus uadere pergit.
Humidus inde loci collucet Aquarius orbem.
Exin ſquamiferi ſerpentes ludere Piſces,
Queis comes eſt Aries obſcuro lumine labens,
Inflexoq. genu proiecto corpore Taurus,
Et Gemini clarum iactantes lucibus ignem,

Hæc sol æterno conuestit lumine lustrans,
Annua conficiens uertentia tempora cursus.
Hic quantus terris consectus pellitur orbis,
Tantundem ille patens supra mortalibus edit,
Sex omnes semper cedunt labentia nocte,
Tot cœlum iussus fugientia signa reuisunt,
Huc spatium tranans cæcis nos conficit umbris
Quòd supera terras prima de nocte relictum est
Signifero ex orbis & signorum ordine fultum.
Quod si solis aues certos cognoscere cursus,
Ortus signorum nocturno tempore uises.
Nam semper signum exoriens Titan trahit unũ.
Sin autem officiens signis mons obstruet altus,
Aut adiment lucem cæca caligine nubes,
Certas ipse notas cœli de tegmine sumes,
Ortus atque obitus omneis cognoscere possis.
Quæ simul existant cernes, quæ tempore eodem
Præcipitent obitum, nocturno tempore nosces.
Iam simul ut supero se toto lumine Cancer
Extulit, extemplo cedit delapsa Corona,
Et loca conuisit cauda tenus infera Piscis.
Dimidiam retinens stellis distincta Corona
Partẽ, etiã supera, atque alia de parte repulsa est:
Quũ tamen insequitur Piscis, nec totus ad umbras
Tactus, sed supero contectus corpore cedit,
Atque humeros usque à genibus, clarũq. recondit
Anguitenens ualidis magnũ à ceruicibus Anguẽ.
Iam uero Arctophylax non æqua parte secatur:
Nam

Nam breuior clara cœli de parte uidetur,
Amplior infernas depulsus possidet umbras.
Quattuor hic obiens secum deducere signa
Signifero solet ex orbi, tum serius ille
Quum supera sese saciauit luce, recedit,
Post mediam labens claro cum corpore noctem.
Hæc obscura tenens conuestit sydera tellus,
Dimidiam retinet stellis distincta Corona.
Ac parte ex alia claris cum lucibus errat
Orion, humeris & lato pectore fulgens,
Et dextra retinens non cassum luminis ensem.
Sed quum de terris uis est patefacta Leonis,
Omnia, quæ Cancer præclaro detulit ortu,
Cedunt obscurata, simul uis maior Aquari
Pellitur, ac flexo confidens corpore nixus,
Iam supero ferme depulsus lumine cedit.
Sed læuum genus atque illustrem liquit in altum
Plantã, tum contra exoritur clarũ caput Hydræ,
Et Lepus, & Procyon, qui sese feruidus infert
Ante Canem: inde Canis uestigia prima uidentur,
Non pauca è cœlo depellens signa. repente
Exoritur candens illustria lumina Virgo.
Cedit clara Fides Cyllenia, mergitur unda
Delphinus, simul obtegitur depulsa Sagitta,
Atque Auis ad summã caudam, primasq. recedit
Pinnas, & magnus pariter delabitur amnis.
Hic Equus à capite & longa ceruice latescit,
Longius exoritur iam claro corpore Serpens,
Cra-

Crateraq. tenus lucet mortalibus Hydra,
Inde pedes Canis ostendit iam posteriores,
Et post ipse trahit claro cum lumine Puppim,
Insequitur labens per cœli lumina Nauis,
Et iamiam toto processit corpore Virgo:
Hæc medium ostendit radiato stipite malum.
At quum procedunt obscuro corpore Chelæ,
Existit pariter larga cum luce Bootes.
Cuius in aduersum est Arcturus corpore fixus,
Totaq. iam supera fulgens prolabitur Argo:
Hydraq. quod late cælo dispersa tenetur,
Nondum tota latet, non caudam contegit umbra.
Iam dextrum genu, & decoratam lumine suram
Erigit, ille uagans uulgato nomine Nisus,
Quē nocte extinctum atque exortū uidimus una,
Persæpe in paruum tranans geminauerit orbem.
Hic genus & suram cum Chelis erigit alte,
Ipse autem præceps obscura nocte tenetur,
Dum Nepa & Arcitenens inuisant lumina cœli.
Nam secum medium pandet Nepa, tollere uero
In cœlum totum exoriens conabitur arcus.
Hic tribus elatus cum signis corpore toto
Lucet: at exoritur media de parte Corona,
Caudaq. Centauri extremo candore refulget.
Hic se iam totum cæcas Equus abdit in umbras,
Quem rutila fulgens pluma præteruolat Ales.
Occidit Andromedæ clarum caput, ut fera Pistrix
Labitur, horribileis epulas funesta requirens.

Hanc

Hanc contra Cepheus non cessat tendere palmas,
Illa usque ad spinam mergens se cærula condit.
At Cepheus caput atque humeros, palmasq. reclinat.
Quum uero uis est uehemens exorta Nepai,
Late fusa uolat: per terras fama uagatur.
Vt quondam Orion manibus uiolasse Dianam
Dicitur, excelsis errans in collibus amens,
Quos tenet Aegæo defixa in gurgite Echineis,
Brachia quam uiridi conuestit tegmine uini:
Ille feras uecors amenti corde necabat
Oenopionis auens epulas cœnare nitentis.
At uero pedibus subito perculsa Dianæ
Insula discessit, disiectaq. saxa reuellens
Perculit, & cæcas lustrauit luce lacunas.
E quibus ingenti existit cum corpore præ se
Scorpios, infestus præportans flebile acumen.
Hic ualido cupide uenantem perculit ictu,
Mortiferum in uenas figens per uulnera uirus:
Ille graui moriens constrauit corpore terram.
Quare cum magnis sese Nepa lucibus effert,
Orion fugiens commendat corpora terris.
Tū uero fugit Andromeda et Neptunia Pistrix
Tota latet, cedit conuerso corpore Cepheus,
Extremas medio contingens corpore terras.
Hic caput & superas potis est demergere partes:
Infera lumborum nunquam conuestiet umbra:
Nam retinent arcto lustrantes lumine suras.
Labitur illa simul gnatam lachrymosa requirens

Cassie-

Cassiepea, neque ex cœlo depulsa decore
Fertur: nam uerso contingens uertice primum
Terras post humeros euersa sede refertur.
Hanc isti tribuunt pœnam Nereides almæ,
Cũ quibus (ut perhibẽt) ansa est cõtẽdere forma.
Hæc obit inclinata: at pars exorta Corona est
Altera, cum caudaq. omnis iam panditur Hydra.
At caput & totum sese Centaurus opacis
Eripit, è tenebris linquens uestigia parua
Ante pedum contecta, simul cum lumine pandit:
Ipse feram dextra retinet, prolabitur inde
Anguitenẽs capite et manibus, profert simul Anguis
Iam caput & summum flexo de corpore lumen.
Hic ille exoritur conuerso corpore Nixus,
Aluũ, crura, humeros, simul et præcordia lustrãs,
Et dextræ radios læto cum lumine iactans.
Inde Sagittipotens superas conuisere luces
Instititit, et mergit Nixi caput, & simul effert
Sese clara Fides, & promit corpore Cepheus,
Feruidus ille Canis toto cum corpore cedit,
Abditur Orion, obijt simul abditus umbra est,
Inferiora cadunt Aurigæ lumina, lapsum
Crus dextrũq. pedẽ linquens obit infera Perseus
In loca, tum cedens à puppi linquitur Argo:
Inde obiens Capricornus ab alto lumine pellit
Aurigã, instãtemq. Caprã, paruos simul Hœdos,
Et magnam antiquo depellit nomine Nauem:
Obruitur Procyon, emergunt Alite lapsum,

Et

Et terris uolucris existit clara Sagitta.

*

Hoc motu radiantis Etesiæ in uada ponti, CICERO.

*

* sub pedibus profert finita Booti: PRISC.

*

Tertia sub cauda ad genus ipsum lumina pandit PRISC.

*

Nauibus assumptus fluitantia quærere aplustra, PRISC.

*

Huic supera duplices humeros adfixa uidetur PRISC.
Stella micans tali specie, taliq. nitore,

*

Quẽ neque tẽpestas perimet, neque lõga uetustas PRISC.
Interimet stinguens præclara insignia cœli.

*

M. Tullii Ciceronis Alcyones.

*

ALCYON genuit claris delapsus ab astris DONAT.
Præuius auroræ solis, noctisq. satelles.

*

M. Tullii Ciceronis Limon.

*

TV quoque, qui solus lecto sermone Terenti CICERO.
Conuersum expressumq. Latina uoce Menandrũ

In

In medio populi sedatis uocibus effers,
Quicquid come loqués, ac omnia dulcia linquens.

*

M. Tullii Ciceronis Marius.

*

CICERO. NVNTIA fulua Iouis, miranda uisa figura.

*

CICERO. Hic Iouis altisoni subito pinnata satelles
Arboris è trunco serpentis saucia morsu,
Ipsa feris subigit transfigens unguibus anguem
Semianimum, & uaria grauiter ceruice micanté,
Quē se intorquentem lanians, rostroq. cruentans,
Iam satiata animas, iam duros ulta dolores,
Abijcit efflantem, & laceratum affligit in unda,
Seq. obitu à solis nitidos conuertit ad ortus.
Hanc ubi præpetibus pennis, lapsuq. uolantem
Conspexit Marius diuini numinis augur,
Faustaq. signa suæ laudis reditusq. notauit:
Partibus intonuit cœli pater ipse sinistris.
Sic aquilæ clarum firmauit Iupiter omen.

M. Tullii Ciceronis prognostica.

*

CICERO. ATQVE etiã uentos præmonstrat sæpe futuros
Inflatum mare, cum subito, penitusq. tumescit:
Saxaq. caua salis niueo spumata liquore

Tristi

Tristificas certant Neptuno reddere uoces:
Aut densus stridor cum celso è uertice montis
Ortus adaugescit scopulorum sæpe repulsu.

*

Cana fulix itidem fugiens è gurgite ponti, CICERO.
Nuntiat horribiles clamans instare procellas,
Haud modicos tremulo fundens è gutture cantus,
Sæpe etiam pertriste canit de pectore carmen,
Et matutinis Acredula uocibus instat,
Vocibus instat, & assiduas iacit ore querelas,
Fuscaq. nonnunquam cursans per littora cornix
Demersit caput, & fluctum ceruice recepit.
Vos quoque signa uidetis aquai dulcis alumnæ,
Cum clamore paratis inanes fundere uoces,
Absurdoq. sono fontes & stagna cietis.
Mollipedesq. boues spectantes lumina cœli
Naribus humiferum duxere ex aere succum.
Iam uero semper uiridis, semperq. grauata
Lentiscus triplici solita est grandescere fœtu,
Ter fruges fundés, tria tempora monstrat arandi.

*

Ast autem tenui quæ candent lumine Phatuæ PRISC.

*

Vt cum luna means Hyperionis officit orbi, PRISC.
Stinguuntur radij cæca caligine tecti.

*

Caprigeni pecoris custos de gurgite uasto. PRISC.

*

M. Tullij

M. Tullii Ciceronis de suo consulatu lib. II.

CICERO. PRINCIPIO æthereo flammatus Iuppiter igni
Vertitur, & totum collustrat lumine mundum,
Menteq. diuina cœlum terrasq. petessit:
Quæ penitus sensus hominum, uitasq. relentat,
Aetheris æterni septa, atque inclusa cauernis.
Etsi stellarum motus cursusq. uagantes
Nosse uelis, quæ sint signorum in sede locatæ,
Quæ uerbo, & falsis Graiorum uocibus errant,
Re uera certo lapsu, spatioq. feruntur:
Omnia iam cernes diuina mente notata
Nam primum astrorũ uolucres te Consule motus,
Concursusq. graues stellarum ardore micantes
Tu quoque, cũ tumulos Albano in monte niuales
Lustrasti, & læto mactasti lacte Latinas,
Vidisti, & claro tremulos ardore cometas,
Multaq. misceri nocturna strage putasti,
Quod ferme dirum in tempus cecinere Latinæ,
Cum claram speciem concreto lumine luna
Abdidit, & subito stellanti nocte perempta est.
Quid uero Phœbi fax tristis nuntia belli,
Quæ magnũ ad columen flãmato ardore uolabat,
Præcipites cœli partes, obitusq. petisset:
Aut cum terribili perculsus fulmine ciuis
Luce serenanti uitalia lumina liquit:

Aut

Aut cum se grauido tremefecit corpore tellus.
Iam uero uariæ nocturno tempore uisæ
Terribiles formæ bellum, motusq. monebant:
Multaq. per terras uates oracla furenti
Pectore fundebant tristes minitantia casus.
Atque ea, quæ lapsu tandem cecidere uetusto,
Hæc fore, perpetuis signis clarisq. frequentans
Ipse deum genitor cœlo, terrisq. canebat.
Nunc ea, Torquato quæ quondã, et Consule Cotta
Lydius ediderat Tyrrhenæ gentis aruspex,
Omnia fixa tuus glomerans determinat annus.
Nam pater altitonans stellanti nixus Olympo,
Ipse suos quondam tumulos ac templa petiuit,
Et Capitolinis iniecit sedibus ignes.
Tum species ex ære uetus, generataq. Nattæ
Concidit, elapsæq. uetusto numine leges:
Et diuum simulachra peremit fulminis ardor.
Hic siluestris erat, Romani nominis altrix
Martia, quæ paruos Mauortis semine natos
Vberibus grauidis uitali rore rigabat:
Quæ tum cum pueris flammato fulminis ictu
Concidit, atque auulsa pedum uestigia liquit.
Tum quis non, artis scripta ac monumẽta uolutãs,
Voces tristificas chartis promebat Etruscis?
Omnes ciuili generosam stirpe profectam
Vitare ingentem cladem, pestemq. monebant:
Vel legum exitium constanti uoce ferebant,
Templa deumq. adeo flammis, urbesq. iubebant

L Eri-

Eripere, & stragem horribilem, cædemq. uereri,
Atque hæc fixa graui fato, ac fundata teneri,
Ni post excisum ad columen formata decore
Sancta Iouis species claros spectaret in ortus:
Tum fore, ut occultos populus, sanctusq. senatus
Cernere conatus posset, si solis ad ortum
Conuersa, inde patrum sedes, populiq. uideret.
Hæc tardata diu species, multumq. morata,
Consule te tandem celsa est in sede locata:
Atque una fixi ac signati temporis hora
Iuppiter excelsa clarabat sceptra columna:
Ac clades patriæ flamma, ferroq. parata,
Vocibus Allobrogum patribus populoq. patebat.
Rite igitur ueteres, quorum monumenta tenetis,
Qui populos, urbesq. modo ac uirtute regebant,
Rite etiam uestri, quorum pietasque, fidesq.
Præstitit, ac longe uicit sapientia cunctos,
Præcipue ingenti coluerunt numine diuos.
Hæc adeo penitus cura uidere sagaci,
Otia qui studijs læti tenuere decoris,
Inq. Academia umbrifera, nitidoq. Lyceo
Fuderunt claras fœcundi pectoris artes.
E quibus ereptum primo iam à flore iuuentæ,
Te patria in media uirtutum mole locauit,
Tu tamen anxiferas curas requiete relaxas,
Quod patriæ uoces studijs, nobisq. sacrasti.

*

NONIVS. *Atque animo pendens noctis euenta timebat.*

*

M. Tullii Ciceronis de suo consulatu lib. III.

INTEREA *cursus, quos prima à parte iuuentæ,* CICERO.
Quosq. adeo Consul uirtute animoq. petisti,
Hos retine, atque auge famam laudesq. bonorum.

*

M. Tullii Ciceronis de suis temporibus.

*

CEDANT *arma togæ, concedat laurea linguæ* QVINT.

*

O *fortunatam natam me Consule Romam.* QVINT.

*

M. Tullii Ciceronis iocularis libellus.

FVNDVM *Varro uocat quẽ possim mittere fũda,* QVINT.
Ni tamen exciderit, quà caua funda patet.

M. Tullii Ciceronis incerta quædam.

*

ARISTOTELES *ueteres philosophos accusauit: eos ait gloriosos, aut stultissimos fuisse, qui* Lact. l. 3. c. 28.

existimassent philosophiam suis ingenijs esse perfectam, sed se uidere, quòd paucis annis magna accessio facta esset, breui tempore philosophiam plane absolutam fore.

*

Lact. l. 7. c. 8. * quoniam utraque earum sententiarum doctissimos habuit auctores, nec, quid certi sit, diuinari potest.

*

Lact. l. 3. c. 16. Recteq. Tullius ciuiles uiros, qui remp. gubernant, qui urbes aut nouas constituant, aut constitutas æquitate tueantur, qui salutem, libertatem ciuium, uel bonis legibus, uel salubribus consilijs, uel iudicijs grauibus conseruent, philosophiæ doctoribus præfert.

*

Aug. l. 4. cōtra Iul. Pelagium. Eorum quippe opinioni conuenienter ait quodam loco Tullius, se non putare idem esse arietis, et P. Africam bonum.

*

Augustinus Vita Beata. An uero, quod ait Tullius, multorum in terris prædiorum dominos diuites appellamus, omnium uirtutum possessores pauperes nominabimus?

*

Aug. epistola 1. * nullum unquam uerbum, quod reuocare uellet, emisit.

non

*

* non se id egisse, ut ita diceret, quo modo se quilibet posse cōfideret, sed quo modo nemo. Quint. l. 11. ca. 1.

*

Cæsar cum quosdam ornare uoluit, non illos honestauit, sed ornamenta ipsa turpauit. Hiero. super obitum Paulinæ.

*

Etenim si nemo est, qui non mori malit, quàm conuerti in aliquam figuram bestiæ, quamuis mentem hominis habiturus, quanto est miserius, in hominis figura animo esse efferato? mihi quidem tanto uidetur, quanto est præstabilior animus corpore. Lact. l. 5. c. 11.

*

Nihil esse, quod sit manibus humanis laboratum, quod nō aliquando ad interitum redigatur, uel iniuria hominum, uel ipsa confectrice omnium uetustate. Lact. l. 7. c. 11.

*

Hoc miror enim, querorq. hominem ita pessundare uerbis alterum uelle, ut etiam nauē perforet, in qua ipse nauiget. Quint. l. 8. c. 6.

*

Meliora unguenta sunt, quæ terram, quàm quæ crocum sapiunt. Plin. l. 7. c. 5. & l. 13 c. 3.

*

Gladiatores inuisos habemus, si omni modo uitam impetrare cupiunt, fauemus, si contem- Senec. 1. Tranquill.

 ptum

ptum eius præ se ferunt.

*

Marcell. l. 15. Et quanquam optatissimum est, perpetuo fortunam quamflorentissimam permanere: illa tamen æqualitas uitæ non tantum habet sensum, quantum cum ex sanis, & perditis rebus ad meliorem statum fortuna reuocatur.

*

PLINIVS. In libris de Repub. Platonis me comitem profiteor in Consolatione filiæ, Crantorem sequor, item Panætium de officijs.

*

AVGVST. * Omnium pectora sic attingit, ut cogat in gemitum.

*

AVGVST. Nullæ sunt occultiores insidiæ, quàm quæ latent in simulatione officij, aut in aliquo necessitudinis nomine.

*

NONIVS. * arcera.

*

NONIVS. Existimaui honestissimas molestias posse deponi, ubi me ad philosophiam retulissem.

*

FORTVN. * ferem.

*

SERVIVS. Ad militiam euntibus dari solebant custodes, quibus primo anno regerentur.

cum

*

* cum parcere uel lædere potuissem, ignoscendi quærebam causas, non puniendi occasiones, quod iudicis lenti & considerati est proprium. MARCEL.

*

Infelices esse qui omnia sibi licere existimarunt. MARCEL.

*

* de plebeia fece sellulariorum. AVGVST.

*

* Erithreo oppido superpositum montem Mimanta. MARCEL.

*

Qui fuit locus religiosissimus, is erit desertissimus, & custodia castrorum non honoris, sed oneris existimatur. DIOMED.

*

Lex Dei præclara & diuina semper, quæ recta et honesta iubet, uetat praua & turpia: cui parentem sanctissimæ, ac certissimæ legi, iuste ac legitime necesse est uiuere. LACTAN.

*

Atque adeo in plerisque ciuitatibus intelligi potest acuendæ uirtutis gratia, aut quo libentius reip. causa periculum adiret optimus quisque, uirorum fortium memoriam honore deorum immortalium consecratam. LACTAN.

 Dic

FESTVS. *

* ructaretur.

*

QVINT. *Dic mihi quæso Xenophontis uxor, si uicina tua melius habeat aurum, quàm tu habes, utrum ne illius, an tuum malis? illius, inquit. Quid? si uestem & cæterum ornatum muliebrem pretij maioris habeat, quàm tu habes, tuum ne, an illius malis? illius uero respondit. Agesis, inquit, si uirum illa meliorem habeat, quàm tu habes, utrum ne tuum uirum malis, an illius? Hic mulier erubuit, & merito, male enim responderat se malle alienum aurum, quàm suum. nam est id improbum. At si respondisset, se malle aurum suum tale esse, quale illud esset, potuisset pudice respondere, malle se uirum suum talem esse, quasi melior esset.*

ANDR. PATRICII IN FRAGMENTA LIBRORVM M. TVLLII CICERONIS ADNOTATIONES.

PRAEFATIO.

VTRVM *ne conuicium uetustati fieri, quæ ipsam eorum Ciceronis librorum quasi uitam extinxerit, & integritatem ac soliditatem illorum quasi fœdissima quadam tempestate lacerarit: an gratia haberi debeat, quòd quasdam utique reliquias, uelut ex naufragio tabulas, conseruarit, ad nosq. transmiserit, non est, mea quidem sententia, de quo magnopere possit dubitari. Etsi sint enim, qui amissarũ rerum desiderio æstuantes, à conuicijs uix abstineant, bene tamen gratus, & mundana omnia, ea mortalitate, qua constant, metiens animus, non uereor, quin gratias sit potius illi habiturus, quæ pleraque seruauerit, quàm frustra obtrectaturus, quæ non nulla sustulerit. Cum enim ipsius tanta sit uis & potestas, ut omnia, quæ aliquando orta sunt, possit, cum libuerit, iure quodam suo abolere, ad idemq. il-*

lud principium, unde prodierant, deducere, profecto, si quando ex hac ista legis suæ acerbitate remittit, & quippiam, cum perimere uniuersum potuisset, excipit, parteq. saltem ex aliqua retinet in uita, ac tuetur, in eo magis illam debemus beneficio quodam præcipuo, quàm iure & potestate communi uti censere, nosq. etiam propterea magis ad gratiã, quàm ad contumeliam excitare. Ac mihi quidem de ijs rebus attentius cogitanti, omniumq. momenta diligentius perpendenti; quanquam immortale illud & diuinum M. Tullij ingenium tanti est, ut uestigia etiam ipsius omnia immortalitate dignissima existimem, tamen, cum chartas ipsas & membranulas intueor, rem unam fragilem in primis & caducam, in qua hæc ista uestigia fixa ad posteritatem impressaq. fuerunt, magis mehercle mirandum uidetur, aliquid ad nos, ex ijs, in tanta imperiorũ omniumq. rerum uarietate et mutatione, peruenisse, quàm aliquid interire potuisse. Quid enim esse ad diuturnitatem instabilius potuit, ijs rebus, in quibus ea relicta et consignata fuerunt? Et tamen diuino quodam beneficio atque miraculo singulari ad nos usque deuenerunt. Et erimus sic ingrati, & maligni, ut cum aliorum scriptorum æque nobilium multa librorum millia, cum ipso nomine, immo cum uestigio

gio amissa; cum tot statuas, arcus, templa, trophæa, æra, marmora, absumpta: parum dico: cum tot, inquam, urbium, regionum, prouinciarum, regnorum, imperiorum, ipsa etiam cadauera, quæ diu proiecta iacuerunt, è medio sublata uideamus, in Cicerone tamen, non deorum prouidentiam, in conseruatis multis, agnoscere, sed iacturam nostram in paucis amissis deplorare uideamur: quorum sane imbecillitas & à marmorum ac urbium firmitate longe aberat, & ea fuit, ut omnia uno atque simili interitu inuoluere potuerit. Quod quia certe factum non est, cum fieri potuerit, grata magis beneuolentia prosequi, quàm conuitio & maledicto excipere debemus, magisque id quod reliquum factum est, cum præsertim plura reliqua facta sint, in lucro deputare, quàm id quod amissum est, cum amissa non nimis multa sint, in damnis ducere debemus. Fatendum est enim, & quidem cum grati animi significatione fatendum, eorum, quæ à M. Cicerone conscripta olim litterisq. tradita fuerunt, plura fere his adhuc nostris temporibus extare integra, ad usum utilitatemq. nostram, quàm tẽpus & uetustas uiolarit. Non tam igitur muliebriter lamentandum, quàm uiriliter agendum est, nec tam uetustas ipsa maledictis uexanda, quàm opera danda est, ut, id quod in resi-

reficiendis euersis urbibus statuisq. quotidie fie
ri uidemus, nos quoque, quàm possumus, in
istis à uetustate uiolatis ruinis Ciceronis instau
randis aliquando elaboremus, studiumque &
operam nostram cum ad præsentium temporũ
commoditatem referamus, tum posteritati e-
tiam ipsi approbemus: quod est bonorum ui-
rorum, & de genere humano optime merentiũ
maxime proprium. Ex quo fit, ut præclare sa
ne mihi fecisse uideatur Carolus Sigonius, quẽ
ego uirum ob communem amicitiam nisi iu-
cundissime, ob illius autem eruditionem & do
ctrinam nisi honestissime nominare non pos-
sum: qui cum superioribus temporibus fra-
ctos & conuulsos Consulares fastos marmo-
reos incredibili labore & uigilantia consoli-
dasset, dimidiata autem plus minus parte mu-
tilatos restituisset, nuper etiam ad medici-
nam amissis his Ciceronis libris faciendam a-
nimum conuertit, tantumq. effecit, ut, si for-
te cupidorum in hoc genere sitim hominum
non prorsus extinxerit, at eam certe maxima
ex parte leuauerit, tot fragmentis ex tenebris
in lucem producendis, tot etiam productis in
ordinem redigendis, & redactis explicandis.
Quem & nos imitati, quæ post eum quidem
potuimus, præstitimus, librosq. aut per eum
institutos fragmẽtis plerisque locupletauimus,
aut

aut nouos ipsi ex reconditis maxime et abditis
locis erutos, instituimus: omnes autem in qua-
tuor tomos contulimus, fragmentaq. singula
locis auctorum a fronte diligenter adnotatis,
tanquam clypeo muniuimus: tum quæ alioqui
in libris uulgatis extare uidebantur, e medio
sustulimus, & in uniuersum omnia quæ potui-
mus, uel ex libris, uel ex coniectura ipsa certe
quidem emendauimus. scholijs etiam, quod il
lustrari oportere putauimus, illustrauimus, in
omnibusq. diligentiam nostram studiosis homi
nibus approbare conati sumus. In quo nequid
fingere uideamur, etsi pleraque uere nos dice-
re, res ipsa pro nobis loquitur, age uel duo hæc
saltem ita se habere perspicue demonstremus:
unum, fragmentis hos libros locuptatos per
nos esse: alterum scholijs tum illustratos, tum
etiam, quoad eius fieri potuit, emendatos.
Ac de scholijs quidem, et quæ ijsdem continen
tur locorum emendationibus, posterius uide-
bimus. nunc ut uno quasi in conspectu omnia
uideri fragmenta possint, quæ nos post Sigoni-
um, tanquam post diuitem quendam messorem
spicas in agro derelictas, homines non ualde lo
cupletes collegimus, & si in contextu ipso illa
etiam eorum non obscura demonstratione usi
sumus, ut ijs nomen auctoris maioribus nota-
tum characteribus, præfigendum curaremus,
ta-

tamen quoniam illic sparsim ut cuique locus erat, fuerunt alijs intermixta, seorsum hic ea sub oculos ponere libuit.

FRAGMENTA PER ANDR. PATRICIVM RECENS ALLATA

post Carolum Sigonium.

EX TOMO PRIMO.

PRO VARENO.

DEVM fidem. PRISC.

PRO OPPIO.

ETENIM multum posse ad salutem alterius, honori multis: parum potuisse ad exitium, probro nemini fuit. MARCEL.

O amorem mirum: o beneuolentiam singularem. QVINT.

PRO FVNDANIO.

ARCADES se proselenos esse asserunt. SERVIVS.

PRO CORNELIO I.

CODICEM attigit: QVINT.

Qui

PRISC. *Qui eloquentia cæteris antecellit.*

IN TOGA.

ASCON. QVOD *caput etiam tum plenum animæ & spiritus, ad Syllam usque ab Ianiculo ad ædem Apollinis manibus ipse suis detulit.*

PRO GALLIO.

QVINT. AN *ista, si uera essent, sic à te dicerentur?*

DE PROSCRIPT. LIB.

QVINT. SED *ita legibus Syllæ continetur status ciuitatis, ut, his solutis, stare ipsa non possit.*

DE CONSVLATV.

NONIVS. QVORVM *luxuries fortunata censa peperit.*

IN CLODIVM, ET CVRIONEM.

QVINT. QVO *ex iudicio uelut ex incendio nudus effugit.*

CICERO. *Erras Clodi: non te iudices urbi, sed carceri reseruarunt, neque retinere in ciuitate, sed exilio*

lio priuare uoluerunt. Quamobrem, patres conscripti, erigite animos, retinete uestram dignitatem: manet illa in Rep. bonorum consensio: dolor accessit bonis uiris, uirtus non est imminuta: nihil est damni factum noui, sed quod erat, inuentum est in unius hominis perditi iudicio. plures similes reperti sunt.

PRO SCAVRO.

VOS *quoque de familia nobili cum auctoritate orbis terrarum sentire debetis.* MARCEL.

Vniuerse. CARISIVS

EX OR. PRO QVINTIO.

TVRPIS *occultatio sui.* VLPIAN.

PRO FONTEIO.

FRVMENTI *maximus numerus è Gallia, peditatus amplissimæ copiæ è Gallia, equites numero plurimi è Gallia.* AQVILA.

IN PISONEM.

QVOD *minimum in te specimen ingenij, inge* ASCON.

nij autem? immo ingenui hominis ac liberi, qui colore ipso patriam aspernaris, oratione genus, moribus nomen.

DIOMED. *Proxime Pompeium sedebam.*

EX TOMO SECVNDO.

AD CORNELIVM.

MARCEL. NEQVE *enim quicquam aliud est felicitas, nisi honestarum rerum prosperitas. uel, ut alio modo definiam, Felicitas est fortuna, adiutrix consiliorum bonorum, quibus qui non utitur, felix nullo pacto esse potest. Ergo in perditis impijsq. consilijs, quibus Cæsar usus erat, nulla potuit esse felicitas: feliciorque meo iudicio Camillus exulans, quàm temporibus ijsdem Manlius, etiamsi, id quod cupierat, regnare potuisset.*

AD HIRTIVM.

NONIVS. LVTA *& limum aggerebant.*

AD BRVTVM.

QVINT. SINE *illo enim uiuere honeste licet, cum hoc uiuendi nulla conditio est.*

Simne

Sim ne bonus uir, si hoc suadeam? minime. Suasoris enim est finis, utilitas eius, cui quisque suadet. At recta sunt. quis negat? sed non est semper rectis in suadendo locus. QVINT.

Populo imposuimus, & oratores uisi sumus. QVINT.

Res mihi inuisæ uisæ sunt Brute. QVINT.

AD FILIVM.

PHILOSOPHIAE *quidem præcepta noscenda, uiuendum autem ciuiliter.* LACTAN.

AD CATONEM.

NEC *iccirco desiderandam esse dignitatem meã, quòd eam multi impugnarint, sed eo magis recolendam, quòd plus desiderarint.* NONIVS.

AD CERELIAM.

HAEC *aut animo Catonis ferenda sunt, aut Ciceronis stomacho.* QVINT.

AD PLANCVM.

NAM *neque deesse reip. uolo, neque superesse.* GELLIVS.

INCERTA EPISTOLA.

QVINT. Ne ulli sunt pedes faceti, ac delicijs ingredienti mollius.

EX TOMO TERTIO.

OECONOMICO.

COLVM. Nam uetus est prouerbium, paupertatem certissimam esse, quum alicuius indigeas, uti eo non posse, quia ignoretur, ubi proiectum iaceat quod desideretur. itaque in re familiari laboriosior est negligentia, quàm diligentia. Quis enim dubitet nihil esse pulchrius in omni ratione uitæ, dispositione atque ordine? quod etiã ludicris spectaculis licet sæpe cognoscere. Nam ubi chorus canentium, non ad certos modos, neque numeris præeuntis magistri consensit, dissonum quiddam ac tumultuosum audientibus canere uidetur. at, ubi certis numeris ac pedibus uelut facta conspiratione consensit atque concinit, ex eiusmodi uocum concordia, non solum ipsis canentibus, amicum quiddam et dulce resonat, uerum etiam spectantes audientesq. lætissima uoluptate permulcentur.

Præparatis idoneis locis, instrumentum & supellectilem distribuere cœpimus, ac primum ea secreuimus, quibus ad res diuinas uti solemus: postea mundum muliebrem, qui ad dies festos comparatur, deinde ad uirilem item dierum solennium ornatum, nec minus calceamenta utrique sexui conuenientia, tum iam seorsum arma ac tela seponebantur, & in altera parte instrumenta, quibus ad lanificia utuntur: post quæ, ad cibum conficiendum uasa (ut assolent) constituebantur: inde, quæ ad lauationem, quæ ad exornationem, quæ ad mensam quotidianam atque epulationem pertinerent, reponebantur. postea ex ijs, quibus quotidie utimur, quod menstruum esset seposuimus, quod annuũ quoque in duas partes diuisimus: nam sic minus fallit qui exitus futurus sit. Hæc postquam omnia secreuimus, tum suo quæque loco disposuimus: deinde quibus quotidie seruuli utuntur, quæ ad lanificia, quæ ad cibaria coquenda & conficienda pertinent, hæc ipsa ijs, qui uti solent, tradidimus, & ubi ea ponerent demonstrauimus, & ut salua essent præcepimus. Quibus autem ad dies festos, & ad hospitum aduentum utimur, hæc primo tradidimus, & loca singula demonstrauimus. & cuique sua annumerauimus, atque annumerata ipsi exscripsimus, eamq. admonuimus, ut, COLVM.

quodcunque opus esset, sciret unde daret: & meminisset atque adnotaret, quid & quando, & cui dedisset, & cum recepisset, ut quicque suo loco reponeret.

COLVM. Vtrum ne Ischomache, inquam, si res familiaris desiderasset, mercari uillicum tanquam fabrũ, an ipse instituere consueuisti?

CICERO. Cum ad Cyrum minorem, regem Persarum, præstantem ingenio atque imperij gloria, Lysander Lacedæmonius, uir summæ uirtutis, uenisset Sardis, eiq. dona à socijs attulisset: & cæteris in rebus comis erga Lysandrum atque humanus rex fuit, & ei quendam conseptum agrum diligenter consitum ostendit. Cum autem admiraretur Lysander & proceritates arborum, & directos in quincuncem ordines, & humum subactam, atque puram, & suauitatem odorum, qui efflarentur è floribus, tum dixit: mirari se non modo diligentiam, sed etiam solertiam eius, à quo essent illa dimensa, atque descripta. & Cyrus respondit: Atqui ego ista sum omnia dimensus, mei sunt ordines, mea descriptio, multæ etiam istarum arborum mea manu sunt satæ. Tum Lysander intuens eius purpuram, & nitorem corporis, ornatumq. Persicum multo auro, multisq. gemmis, dixit:

xit: Recte uero te Cyre beatum ferunt, quoniam uirtuti tuæ fortuna coniuncta est.

Scrobes. SERVIVS.

DE REP. I.

QVASI alius assimulare rempub. DIOMED.

Breui multitudo diuersa atque uaga, concordia ciuitas facta erat. AVGVST.

Duos Romanos reges esse, quorum alter patrem non habet, alter matrem. nam de Seruij matre dubitatur, Anci pater * Martius Numæ nepos dicitur. SENECA.

Prouocationẽ ad populum etiam à regibus fuisse. SENECA.

Quem nos dictatorem dicimus, & in historia ita nominari legimus, apud antiquos magister populi uocatus est, quòd qui ab illo nominatur, magister equitum est. SENECA.

Sed audisse te credo, tum uero Platonem, Socrate mortuo, primum in Aegyptum discendi causa, post in Italiam contendisse. NONIVS.

DE REP. III.

SENECA. QVONIAM *sumus ab ipsa calce eius interpellatione reuocati.*

LACTAN. *Nullum est ius naturale. itaque omnes animantes, ipsa ducente natura, commoda sua defendunt. et ideo iustitia, si alicuius utilitatibus consulat, suas negligat, stultitia est dicenda. Quod si omnes populi, penes quos sit imperium, ipsiq́. Romani, qui orbem totum possedere, iustitiam sequi uelint, ac suum cuique restituere, quod ui & armis occupauerunt, ad casas & egestatem reuertentur. quod si fecerint, iustos dicemus quidem, sed tamen stultos iudicare necesse est, qui, ut alijs prosint, sibi nocere contendunt.*

GELLIVS. *Non grauarer Læli, nisi & hos uelle putarem, & ipse cuperem te quoque aliquam partem huius nostri sermonis attingere: præsertim cum heri dixeris, te nobis etiam superfuturum. Verum si id quidem fieri non potest, ne desis, omnes te rogamus.*

LACTAN. *Huic tu uiro quas diuitias obijcies? quæ imperia, quæ regna? qui ista omnia putat humana, sua bona diuina indicat.*

Nullum bellum suscipitur à ciuitate optima, nisi aut pro fide, aut pro salute. AVGVST.

Hic est ille situs, cui nemo ciuis neque hostis CICERO. SENECA.
Quiuit pro factis reddere operæpretium.

Vbi uero iustitia uera non est, nec ius potest esse. quod enim iure fit, profecto iuste fit. quod autem fit iniuste, nec iure fieri potest. Non enim iura dicenda sunt, uel putanda, iniqua hominum constituta; cum illud etiam ipsi ius esse dicant, quod de iustitiæ fonte manauerit; falsumq́. sit, quod à quibusdam non recte sentientibus dici solet, id ius esse, quod ei, qui plus potest, utile est. AVGVST.

DE REP. IIII.

MARCEL. CVMQ. *nihil tam incorruptum esse debeat in rep. quàm suffragium, quàm sententia, non intelligo cur, qui ea pecunia corruperit, pœna dignus sit, qui eloquentia, laudem etiam ferat. Mihi quidem hoc plus mali facere uidetur, qui oratione, quàm qui pretio indicem corrumpit, quòd pecunia corrumpere prudentem nemo potest, dicendo potest.*

PRISC. *Non enim facile ualenti populo resistitur, si aut nihil*

nihil impertias iuris, aut parum.

PRISC. *Brachialia.*

DE REP. V.

DIOMED EXCELLVNT.

NONIVS. *Quod non modo singulis hominibus, sed potentissimis populis sæpe contigit.*

DE REP. VI.

AVGVST. ALENDVS *hic est gloria.*

GELLIVS. NEC *uero scientia iuris maioribus suis Q. Aelius Tubero defuit, doctrina etiam superfuit.*

HORTENSIO.

NONIVS. SED *ad extremum pollicetur probaturum quæ se ipsa comest, quod efficit dialecticorum ratio.*

ACGVST. *Beati certe omnes esse uolumus.*

AVGVST. *Falsum id quidem. uelle enim quod non deceat, id ipsum miserrimum est: nec tam miserum est non adipisci quod uelis, quàm adipisci uelle, quod non oporteat.*

Pru-

Prudentiæ partes sunt, memoria, intelligentia, prouidentia. AVGVST.

Tune pseudomenos, & soritam, & totam dialecticam aut illudis, aut increpas. NONIVS.

Sufficit ad gloriam bene facti conscientia. SERVIVS.

Tum intelligas, quàm illud non sit necessarium quod redundat. NONIVS.

Eiusq. (ut breuiter totum explicem) omne institutum uoluntatemq. omnem successio prospera consecuta est. AVGVST.

Solertiamq. eam posset, uel in tegulis prosemінare ostreas. NONIVS.

Tunc obsequatur naturæ, cum sine magistro senserit, quid natura desideret: AVGVST.

Quæ nobis dies noctesq. considerantibus, acuentibusq. intelligentiam, quæ est mentis acies, cauentibusque, ne quando illa hebescat, magna spes est, aut, si hoc quod sentimus & sapimus, mortale & caducum est, iucundum nobis, perfunctis muneribus humanis, occasum, neque molestam extinctionem et quasi quietē uitæ AVGVST.

uitæ fore: aut, si, ut antiquis philosophis, hisq. maximis lõgeq. clariß. placuit, æternos animos ac diuinos habemus, sic existimandum est, quo magis hi fuerint semper in suo cursu, (id est in ratione & inuestigandi cupiditate) et quo minus se admiscuerint atque implicuerint hominum uitijs atque erroribus, hoc illis faciliorem ascensum & reditum in cælum fore. Quapropter ut aliquando terminetur oratio, si aut extingui tranquille uolumus, cum his artibus uixerimus, aut si ex hac in aliam haud paulo meliorem domum sine mora demigrare, in his studijs nobis omnis opera & cura ponenda est.

DE GLORIA.

FESTVS. OPPIDORVM *appellationem usurpatione appellatam esse, existimo quòd opem darent.*

CARISIVS *Quo stante, & incolume.*

DE CONSOLATIONE:

PLINIVS. CRANTOREM *sequor.*

LACTAN. *Iccirco nati sumus, ut scelerum pœnas lueremus.*

DE SVIS CONSILIIS.

SED *ut aliqua similitudine adductus, maximis minima conferam, ut cum uinolenti adolescentes, tibiarum etiam cantu, ut fit, instincti, mulieris pudicæ fores frangerent, admonuisse tibicinam, ut spondæum caneret, Pythagoras dicitur: quod cum illa fecisset, tarditate modorum & grauitate cantus illorum furentem petulantiam resedisse.* BOETH.

ACADEMICA.

ACADEMICO *sapienti ab omnibus cæterarum sectarum, qui sibi sapientes uiderentur, secundæ partes dantur; cum primas sibi quenq. uendicare necesse sit. ex quo potest probabiliter cõfici, eum recte primum esse iudicio suo, qui omnium cæterorum iudicio sit secundus.* AVGVST.

Mos fuit Academicis occultandi sententiam suã, nec eam cuiquam, nisi qui secum ad senectutem usque uixissent, aperiendi. AVGVST.

DE NATVRA DEORVM.

NON *sunt ista uulgo disputanda, ne susceptas publice religiones disputatio talis extinguat.* LACTAN.

DE DIVINATIONE.

DIOMED. PRAETEREA *similiter cohortatione circum conciliabula antecellunt :*

DE LEGIBVS.

AVGVST. OCTO *pœnarum genera in legibus continentur, damnum, uincula, uerbera, talio, ignominia, exilium, mors, seruitus.*

PRISC. *Defenstrix.*

EX TOMO QVARTO.

POETICA *omnia.*

Qui sunt sexcenti quinquaginta amplius uersus.

INCERTA.

PLINIVS. IN *libris de Repub. Platonis me comitem profiteor in Consolatione filiæ, Crantorem sequor, item Panætium de officijs.*

AVGVST. *Omnium pectora sic attingit, ut cogat in gemitũ.*

Nullæ

Nullæ sunt occultiores insidiæ, quàm quæ latent in simulatione officij, aut in aliquo necessitudinis nomine. AVGVST.

Arcera. NONIVS.

Existimaui honestissimas molestias posse deponi, ubi me ad philosophiam retulissem. NONIVS.

Ferem. FORTVN.

Ad militiam euntibus dari solebant custodes, quibus primo anno regerentur. SERVIVS.

Cũ peccere uel lædere potuissem, ignoscendi quærebam causas, non puniendi occasiones, quod iudicis lenti & considerati est proprium. MARCEL.

Infelices esse qui omnia licere sibi existimarunt. MARCEL.

De plebeia fece sellulariorum. AVGVST.

Eritbreo oppido superpositum montem Mimanta. MARCEL.

Qui fuit locus religiosissimus, is erit desertissimus, & cuctodia castrorum non honoris, sed oneris existimatur. DIOMED.

Lex

LACTAN. *Lex Dei præclara, & diuina semper, quæ recta et honesta iubet, uetat praua & turpia: cui parentem sanctissimæ, ac certissimæ legi, iuste ac legitime necesse est uiuere.*

LACTAN. *Atque adeo in plerisque ciuitatibus intelligi potest, acuendæ uirtutis gratia, aut quo libentius reip. causa periculum adiret optimus quisque, uirorum fortium memoriam honore deorum immortalium consecratam.*

FESTVS. *Ructaretur.*

QVINT. *Dic mihi quæso Xenophontis uxor, si uicina tua melius habeat aurum, quàm tu habes, utrum ne illius, an tuum malis? illius, inquit. Quid? si uestem & cæterum ornatum muliebrem pretij maioris habeat, quàm tu habes, tuum ne, an illius malis? illius uero respondit. Agesis, inquit, si uirum illa meliorem habeat, quàm tu habes, utrum ne tuum uirum malis, an illius? Hic mulier erubuit, & merito: male enim responderat, se malle alienum aurum, quàm suum. nam est id improbum. At si respondisset, se malle aurum suum tale esse, quale illud esset; potuisset pudice respondere, malle se uirum suum talem esse, qualis melior esset.*

Hæc sunt quæ post Sigonium adijcienda putauimus: interim his frustis atque particulis contenti simus, dum aliquis rem ipsam totam, aut bonam sane illius partem, quam premit fortassis hactenus & occulit, in lucem proferat, studiosisq. eorum studiorum plane satisfaciat. qui si est sane eiusmodi uir, ut publicam utilitatem, sine suo præsertim ullo incommodo, amet, sicut debet, cordiq. habeat, næ is nobis, pro sua integritate, thesaurum hunc diutius iam non inuidebit: qui illi etiam profecto maiori gloriæ erit cum omnibus communicatus, quàm nunc est uoluptati, sibi uni asseruatus. Sin est, ut aut is nulla publicæ utilitatis, nulla priuatæ suæ gloriæ ratione adduci se ad rem honestissimam patiatur, aut uero potius res ipsa, quam tantopere desideramus, æternis est immersa & circumfusa tenebris, illis, unde negant redire quenquam: tum nos quidem desiderium nostrum reliquis istis consolemur: illum autem, si quis eiusmodi est, qui hoc tanto bono genus humanum per inuidentiam defraudet, omnibus illis probris atque maledictis dignissimum iudicemus, quæ hoc nomine in ipsam uetustatem immerito, ut ego quidem existimo, à non nullis conferuntur.

Restat ut scholia exhibeamus.

ANDR. PATRICII IN TOMVM PRIMVM FRAGMENTORVM M. TVLLII CICERONIS SCHOLIA.

IMPERAVI *mihi, ne quid sciens in his meis adnotationibus eorum attingerem, quæ à Sigonio ante me dicta & memorata fuerunt. quid enim hunc honorem erudito uiro non habeam? aut quid etiam cum me, tum lectorem quoque ipsum inani molestia onerem? id quod hoc quidem loco semel pro omnibus dictum esto.*

Orationes Ciceronis, præter eas quidem, quæ uulgatis libris continentur, has fuisse reperio, primum,

pro Tullio.
pro Oppio.
pro Vareno.
pro Fundanio.
pro C. Cornelio, quæ duæ sunt.
in Competitores.
pro Gallio.
de proscriptorum filijs.
Metellina.
De suo Consulatu.

in

in Clodium & Curionem.
de Rege Ptolemæo.
pro Scauro.
pro Gabinio.
pro L. Coruino.
de L. Othone.
in deponenda prouincia.
de L. Bestia.
in Gabinium.
pro Crispio.
pro Vatinio.
pro Q. Mucio.
de lege Agraria breuis: et si quæ sunt aliæ: quarum priores XV fuerunt nuper à Sigonio, quoad eius fieri maxime potuit, cum fragmentis in lucem propositæ, reliquæ uix nominis uestigium retinent ex tanta calamitate. Ac de illis quidem uel alij ante nos iam dixerunt, uel nos etiam suo loco dicturi sumus. De ijs, quas adhuc latere in obscuro dictum est, aliquid, ut puto, nunc præfari necesse est: ut aliqua saltem ex parte labenti iam & occidenti illorum memoriæ succurramus.

Itaque orationis quidem pro L. Coruino mentionem apertam facere uidetur Quintus Marci frater Cicero in libro de petitione Consulatus. Hoc biennio, inquit ad M. fratrem, quatuor sodalitates ciuium ad ambitionem gratiosissi-

N 2 *morum*

morum tibi obligasti, M. Fundanij, Q. Gallij, Cn. Cornelij, L. Coruini: & horum in causis ad te deferendis quidnam eorum sodales receperint & confirmarint, scio, nam interfui. Quo quidē ex loco tempus etiam cōstat habitæ eius pro Coruino orationis. habita est enim illo biennio ante Consulatum M. Ciceronis. Quanquam Coruinum ne, an Coruum appellare debeamus, alij abunde adnotarunt.

De Othone, mentio est lib. 2. ad Atticum Epistola 1. loco noto, De Consularibus orationibus. ubi hanc orationem inter Consulares tertiam nominat. unde constat sanè de ipsius tempore. De argumento docere nos potest, primum Cicero ipse, qui in oratione pro Murena sic scribit. L. Otho, uir fortis, meus necessarius, Equestri ordini restituit non solum dignitatem, sed etiā uoluptatem. itaque lex hæc, inquit, quæ ad ludos pertinet, est omnium gratissima, quod honestissimo ordini cum splendore fructus quoque iucunditatis est restitutus. Quò respiciens etiam Iuuen. Sat. III. inquit. Sic libitum uano, qui nos distinxit, Othoni. Deinde apertius de eadem re docere potest Plut. in Cicerone, qui narrat, cum is Otho (trib. pl. ut ex epit. 99. constat,) quem Asconius in extremo Cornelianæ primæ, L. Roscium, Othonem bene, Consulem male nominat, equites à plebe in theatro

theatro separasset, offensaq. plebs illum in spectaculum prodeuntem sibilis & conuitio exciperet; Ciceronem cos. cum summa modestia plebem in æde Bellonæ increpuisse, hac quidem oratione quam dico de Othone. De cuius successu orationis, dum dicere cogito, temperare mihi profecto non possum, quin uerba Plinij, quæ lib. VII. cap. XXX. scripta reliquit, hoc tempore referam. Quo te M. Tulli piaculo taceam, quo ue maxime excellentem insiqui prædicem? quo potius, quàm uniuersi populi illius gentis amplissimi testimonio, & tota uita tua Consulatus tantum operibus electis? Te dicente legem agrariam, hoc est alimenta sua abdicauerunt tribus: te suadente, Roscio, theatralis auctori legis, ignouerunt, notatasq. se discrimine sedis æquo animo tulerunt. & quæ sequuntur.

De oratione in deponenda prouincia, locus idem ille testatur, qui consulares orationes recitat, li. II. epistolarum ad Atticum. Res ita habet. Cicero & Antonius coss. cum prouincias sortiti essent, Ciceroni Macedonia, Gallia Antonio euenit: postea in gratiam Antonij Macedoniam illi concessit, Gallia recepta, in quam tamen & ipsam profectus non fuit, sed Metellū Celerem misit cum imperio. testatur Dio lib. XXXVII. de qua re etiam aliquid in epistola

II. *lib.* v. *fam. sub initium. Sallustius in Catilinam sic habet. Cicero, inquit, collegam suũ Antonium pactione prouinciæ perpulit, ne contra Remp. sentiret. Unde in or. in L. Pisoné. Ego, inquit, prouinciam Galliam, senatus auctoritate, exercitu & pecunia instructam & ornatam, quam cum Antonio commutaui, (sic enim lego, non, ut ubique legitur, communicaui,) quòd ita existimabam tempora reip. ferre, in concione deposui, reclamante populo Romano.*

De L. Bestia, orationeq. de eo habita, sic scribit Tacitus lib. de Oratoribus. Satis constat C. Cornelium, & M. Scaurum, & T. Milonem, et L. Bestiam, & P. Vatinium concursu totius ciuitatis & accusatos esse, & defensos. Cicero etiam ipse II. *ad Q. fratrem, sic. Ad* III. *idus dixi pro Bestia de ambitu, apud præt. Cn. Domitiũ in foro medio maximo conuentu, &c. Intelligendum est autem fortassis Bestia is, qui cos. Cicerone tribunatum pl. gessit, & qui, ut scribit Sallustius in Catil. queri in concione debuit de actionibus Ciceronis, belliq. grauissimi inuidiam optimo cos. imponere. de quo etiam Brutus in epistola ad Atticum, quæ est in libro epistolarum ad Brutum. Equidem oratio fuit habita Marcellino & Philippo cos. Effectum auté non fuisse consecutum ostendit* II. *Philipp.*

Philipp. Unde etiam intelligi datur, de ambitu illum in Præturæ petitione fuisse accusatum. Quid Bestiam, inquit Cicero, qui se Consulatum in Bruti locum petere profitetur? atque hoc quidem detestabile omen auertat Iupiter. Quàm absurdum autem, qui Prætor fieri non potuerit, eum petere consulatum?

In Gabinium antem quoque scriptam fuisse à Cicerone orationem, Quintilianus aperte testatur lib. II. *cap.* I. *Dixit Cicero pro Gabinio & P. Vatinio, inimicissimis antea sibi hominibus, & in quos, inquit, orationes etiam scripserat. Interim autem nimium non pugnabo, an præter eam in L. Pisonem, in qua non minus perstringit Gabinium, proprie scripserit aliam in ipsum Gabinium. Locus certe in Lactantio cap.* XIIX. *lib.* IV. *in nonnullis exemplaribus perperam habet crucem Gabinianam, pro Gauianam. Respicit enim manifeste ad Verris factum crudele, qui P. Gauium cruci affixerat. de quo Cicero* VII. *Verr.*

Orationis pro Crispio meminit ipse Cicero, in ea pro Cn. Plancio, sic Laterensem alloquens. Atque etiam clamitas Laterensis, Quousque ista dicis? nihil in Crispio perfecisti. absolutæ iam sunt preces tuæ. De Crispio mihi ne tu obijcies? inquit, quem ego de me bene meritum, quia te teste cognoueram, te eodem auctore defendi?

fendi? et ei dices, quousque, quem negas, quod pro Crispio contenderit, impetrare potuisse? et infra. Et mihi lachrymulam Crispiani iudicij obiectas. Significat enim & Crispium se cum contentione defendisse, & eum tamen absolutum non fuisse.

De Vatiniana illud habeo quod dicam, Vatinium à Cicerone & perstrictum fuisse oratione, quæ extat, & defensum hac ista, de qua loquimur, & quam perijsse querimur. Habita certe fuit ijsdem coss. quibus pro M. Scauro, ut scribit Ascon. initio statim expositionis suæ pro M. Scauro. De hac ita Cicero lib. II. ad Q. Fratrem epistola ultima. Ego eodem die post meridiem Vatinium aderam defensurus. Existimo autem non tam id personæ cuiusquam, sicut quidam existimant, quàm rei & ueritati Ciceronem tribuisse, ut Vatinium defenderit. Sic enim extat apud Quint. lib. II. cap. I. quem locum paulo etiam ante citauimus. Decet rem ipsam probare in qualicunque persona. Dixit Cicero pro Gabinio, & P. Vatinio, inimicissimis antea sibi hominibus, & in quos orationes etiam scripserat. Valerius lib. IV. cap. II. duobus eum publicis defensum iudicijs esse scribit. Certe cũ Vatinio ad extremũ usque inimicitias exercuisse Ciceronem, testantur ea quæ inter iocos à Quint. lib. VI. cap. IV. relata sunt. Primum

mum quòd nuntiata ipsius morte, cuius parum certus dicebatur auctor, Interim, inquit Cicero, usura fruar. Deinde cum Ouinium libertum ipsius interrogasset, recte ne omnia, & is, recte, respondisset, Nimirum mortuus est, inquit. Huius orationis sic meminit D. Hiero. in Apologia aduersus Ruffinum sub finem: cum prius mentionem fecisset Ciceronis. Lege, inquit, pro Vatinio oratiunculam, & alias ubi sodalitiorum mentio fit.

Pro Q. Mucio etiam illum dixisse, constabit, ex fragmentis orationis in toga candida. accusabatur nimirum is furti à L. Caleno.

De breui una, quæ de lege quoque fuit Agraria, sic ipse eodem illo sæpe nominato loco, lib. II. Att. Sunt præterea duæ breues quasi ἀποσπασμάτια legis agrariæ. Extat autem una, alteram desideramus.

Duas præterea ipsius orationes legisse se Brutus significat in epistolis, quæ infra recitabuntur.

Defensos etiam & accusatos fuisse plerosque alios à M. Cicerone, sunt quæ testentur, cum ipsius, tum scriptorum aliorum monumenta: de quibus uel unum illud interea sufficiat, quod ita scribit ipse in Oratore suo ad Brutum de suis orationibus. Nemo, inquit, orator tam multa ne in Græco quidem otio scripsit, quàm multa sunt nostra. Scripsit igitur, sed omnium tamen

men aut defensionum aut accusationum uix arbitror orationes scriptas extitisse. Defendit enim Antonium, collegam suum, ut ipse ait in ea pro domo. Accusauit cum T. Munatium Plancum Bursam, (de quo scribit ipse li. VII. fam. epistolarum, & Dio, in tertio Consulatu Pompeij) tum cæteros, de quibus Pædianus in fine Commentarij in Milonianam. Equidem ipse ad Q. fratrem lib. III. Diem scito, inquit, esse nullum, quo die non dicam pro reo. Sed orationes tamen editas, ut dixi, fuisse non comperio. quin & earum, quas superius descripsi, accusationum, & defensionum omnium, non ualde affirmauerim orationes editas fuisse. nam & pro Mucio profecto orationem, scribit diserte Asconius editam non fuisse: nisi fortasse pleraque omnia in Commentarijs reliquerit.

Aeschinis autem & Demosthenis contrarias orationes in hoc numero non recenseo, quòd eæ non in foro habitæ, sed in otio de Græco conuersæ fuerunt. Vide de his Ciceronem ipsum in fine libri de optimo genere Oratorum.

In orationem pro M. Tullio.

SI quis furem.] Solebat Carolus Sigonius pro sua humanitate & erga me beneuolentia singulari, quo tempore illa sua fragmenta Venetijs cudebantur, ut fere quodque folium ex officina librarij exierat, id ad me Patauium mittere. itaque, cum eius etiam orationis ad me folium misisset homo officiosissimus, scripsi uerecunde, uideri postremum hunc orationis locum non optime habere, corrigendumq. ad eum fortassis modum esse, ut pro, Quid si se telo defenderit? iniuria, legeretur, Quid si se telo defenderit? haud iniuria. Quam nostram emendationem quomodo acceperit uir eruditissimus, satis indicauit, cum ita ad finem libri sui adijciendum curauerit. Quid si se telo defenderit? iniuria. quid ita? quia constitutum est. Hæc, inquit, uerba ita citantur à Quintiliano, sententiæ autem ratio postulat, ut legatur, Haud iniuria. quod acute uidit Patricius. Núc etsi de ueritate emendationis, approbante Sigonio, dubitare non oporteat, tamen, quibus rebus adductus ad emendationem ipsam descenderim, putaui mihi breuiter esse exponendum. Habet Cicero in ea pro Milone sub initium, Quod si duodecim tabulæ nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem, si se telo defenderit, interfici impune uoluerunt, quis est, qui. et quæ sequuntur. Gellius autem scribit lib. II. cap. XIIX. Decemuiri, inquit, furem, qui manifesto furto prehensus esset, tum demũ occidi

occidi permiserunt, si aut cum faceret furtum, nox esset, aut interdiu se telo, cum prehenderetur, defenderet. Nota est igitur sententia XII. *tabularum, furem, si se telo defendisset, perimi sine iniuria licuisse. Sed & in libris ueterum iurisconsultorum extant eius rei aperta uestigia. scribit enim Vlpianus L. Nec timorem. D. de eo quod metus causa. Non omnem, inquit, adulterum licet occidere, uel furem, inquit, nisi se telo defendat. Et multo apertius Caius, in L. Itaque D. ad L. Aquiliam. Lex* XII. *tab. inquit, noctu furem permittit deprehensum occidere, ut tamen id ipsum cum clamore testificetur. Interdiu autem deprehensum ita permittit occidere, si is se telo defendat; ut tamen quoque cum clamore testificetur. Hic autem respicit profecto orator ad uim eius legis, ut quemadmodum quidem locus legi debeat, dubitari nihil possit. Sigonius fragmentum esse ex Quintiliano desumptum significat. Ego locum interim non reperio, nisi quod lib.* VI. *cap.* IV. *fere in medio, Tullium nescio quem, cum fur esset, Tollium dictum inuenisse se asserit. Cohaeret autem mirifice fragmentum hoc cum superiore. Quis hoc statuit unquam, &c. Vt inde ad hunc ferme modum uideatur esse inferendum.* Ne ipse posterius occideretur. Huius autem rei tan-

ta

ta uis est, ut id fere solum licere nobis putemus, quod lege statuitur; quod non statuitur, non putemus. Si quis furem. *et quae sequuntur.*

In orationem pro L. Vareno.

CAETERA *ex Sigonio. De effectu huius orationis scribit Quint. lib.* VII. *cap.* III. *quo loco agit de probatione ex causis. Nam cum accusatorem satis instruxisset, quomodo probationem hanc tractare debeat. Patronus uero, inquit, quoties poterit, instabit huic loco, ut nihil credibile sit, factum esse sine causa. Quod Cicero uehementissime, inquit, multis orationibus tractat, praecipue tamen pro Vareno, qui omnibus malis premebatur. nam & damnatus est.*

C. Ancharius.] *Ex Prisciano.*

Lege de sicariis.] *Videndum an Ciceronis sit. Quintilianus enim neminem citat, sed exempli tantum loco ponit. In eodem fragmento, pro L. Varenum occidendo, lego, C. Varenum occidendo. errauit nimirum librarius.*

L. ille Septimius.] *Sumptum ex Prisc. lib.* III. *Extremum autem eius fragmenti extat etiam apud Quintil. lib.* VIII. *cap.* III. *non longe initio. Erucius Antoniaster. De hoc*

Eru-

Erucio, uide orat. pro Sext. Roscio Amerino. Totum hunc locum, sicut est, correxit & emendauit P. Victorius lib. XIV. cap. XXIII. Var. lect.

Ea cædes si potissimum.] *Reposui, eò potissimum, ex meo Prisciano, lib. XII. in fine.*

Deum fidem.] *Ex Prisc. lib. VII. pro deorũ.*

In orationem pro P. Oppio.

PREMEBATVR *is Oppius in primis Cottæ testimonio, scribit etiam Sigonius. Probari id autem eleganter potest ex Quintil. lib. V. cap. XIII. Superba, inquit ille, actio est, ut in Oppium, ex epistola Cottæ reum factum. Sed hunc etiam Quintiliani locum citat Sigonius fragmento extremo.*

Vtrum cum Cottam appetisset, aut cũ] *Legendum fortassis, an cum.*

Etenim multum posse.] *Sumptum ex Marcellino, lib. XXX. Isocratis uox est perpetua, inquit, docentis ignosci debere interdum armis superato rectori, quàm iustum, quid sit ignoranti. Vnde motum existimo Tullium præclare pronuntiasse, cum defenderet Oppium, Etenim multum posse, & q. 5.*

O amorem mirum.] *Ex Quint. lib. IX. cap. II. in medio. Non in personis tantum, inquit Quint. sed & in rebus uersatur, hæc contraria dicendi, quàm quæ intelligi uelis, ratio, ut totum pro Q. Ligario procemium, & illæ eleuationes, uidelicet, O dij boni, Scilicet is superis labor est. et ille pro Oppio locus, O amorem mirum, &c.*

In orationem pro M. Fundanio.

MEMINIT *eius orationis præter cæteros à Sigonio nominatos & scriptores et locos, etiam Seruius in IX. Aeneid. illud, Portam quæ ducis imperio commissa. Commissa, inquit Seruius, clausa. Commissura enim dicitur tabularum cõiunctio, sicut Cicero in Fundaniana meminit.*

Non modo hoc à Iulio Annale.] *Annalium familia ex gente erat Villia, ut erudite Sigonius in Liuij lib. XL. adnotauit, ex epistolis Cœlij manuscriptis. quo fit, ut mirer eum hoc in loco pro Iulio non reposuisse, Villio.*

Arcades se proselenos.] *Ausus sum hoc fragmentum in contextum recipere, Seruij auctoritate commotus in II. Georg. quam etiam adducit Sigonius. De antiquitate Arcadum, nos quoque olim ipsi, in illud Ouid. I. Fastorũ, pleraque annotauimus.*

Orta prior luna (de se si creditur ipsi)
A magno tellus Arcade nomen habet.

In primam pro Cornelio orationem.

HAEC *oratio implere poterat, ut ex Asconio conijcio, undecim folia excusa: æquabat se enim magnitudine ei, quæ pro domo sua habita fuit. nunc uix folium ex ea retinemus, decem autem partes amissæ sunt.*

Vt ab Ioue opt. max.] *Morem hunc inuocationis in iudicijs, præter ea quæ adduxit Sigonius, eleganter et totidem pene uerbis expressit alibi ipse Cicero* VI. *in Verrem. Quid huic, inquit, sacri unquam fore, aut quid fuisse religiosi putatis, qui nunc tanto scelere se obstrictum esse non sentiat, qui in iudicium ueniat, ubi ne precari quidem Iouem opt. max. atque ab eo auxilium petere more omnium possit?*

Quid Metellus. f. n. ac u. cum bis iurasset, semel priuatim, priuatum parte publice legis deiectus est ratione, an ui, an ueri suspicionem animi tollit, etc.] *Locum esse uitiosum asterisci indicant, qui plurimi sunt in meo Asconio. In restituendo, primum sensus ipse requirit uerbū, iterum: idq. etiam aperte est in commentario Asconij: Cætera attingere uix audeo. Quid tamen si sic?* Cum bis iuras. semel priuatim,

tim, iterum aperte & publice, tamen is deiectus est accusatione, an ui, an ueritate. in quo suspicionem omnem tollit C. Curionis uirtus, &c.] *Expono. Metellus bis iurauit Curionem accusare, semel priuatim, à patre moriente adactus, ut testatur Asconius, iterum aperte & publice, legatus, ut habent uulgares libri in Asconij commentario, ut ego autem legendum existimo, lege actus. (respondet enim illi, à patre adactus, significatq. iuramentum calumniæ, de quo multa in libris iurisconsultorum) & tamē destitit accusatione; siue ui, metuebat enim ipse quoque Curionis accusationem, de qua Asconius in commentario: siue ueritate, ut qui non tam ex ipsius merito, quàm ex patris sui uoluntate Curionem accusaret, (quanquam hoc quidem à Cicerone causæ interim seruiente dici existimari debet.) Quin tu igitur quoque, o accusator, desistis accusatione tua? præsertim cum in hoc Metelli facto, ne quid prorsus turpe subesse existimare possis, ipsius faciat & Curionis probitas nota et perspecta. Hoc enim addidit teste Asconio, ut tegeret. (sic enim lego, non, ut est in omnibus, quæ uidi, exemplaribus, legeret) id quod illi utilius inter se, quàm honestius fecerant. Hæc cum ita scripsissem, uenit in mentem alia lectio, haud multum*

etiam ab hac differens, sic. METELLVS S. NOB. AC VIR. CVM BIS IVRASSET SEMEL PRIVATIM, A PATRE, ITERVM PVBLICE, LEGE ADACTVS, DEIECTVS EST. Cætera, ut iam dixi. Erroris occasio fuit, quòd librarius uerbum, priuatim, modice commutatum inaniter repetierat, & pro, patre, parte reposuerat, & particulam, iterum, omiserat, & pro, adactus, quod erat proximum, deiectus, quod erat remotius, posuerat, & omnem, in, animi, commutauerat.

Sed postquam semel in eius loci emendationem ingressus sum, afferam adhuc opem, quàm possum, Asconio. Is ita loquitur in eorum uerborum expositione. Hoc exemplum, inquit, affert hoc loco, quòd uult probare, desistere eum debere ab accusatione, quanquam neque accusauerit, neque fecerit pactionem. Puto enim pro acccusauerit, accusatus fuerit, esse reponendum.

Nam cum is trib. pl. &c. id extra ordinem fuit.] Non immuto, quod uir doctus Sigonius reposuit, admoneo tantum, apud me in Asconio sic legi. IN VESTRI ORDINI * fuit. Dictum est etiam supradictis legibus, &c. Vt τὸ fuit, uideri possit non ad Ciceronis, sed ad Asconij commentarium pertinere.

tinere. Illud autem IN VESTRI ORDINI * aliquo fortassis alio modo corrigi posse. Nam quòd Asconius, extra ordinem, habet, non cogit nos illud idem in Ciceronem recipere. Sed tamen, ut dixi, nihil muto de Sigonio: quia & sententiam habet, & à me melius hoc tempore reperiri nihil potest.

Est utique ius uetandi.] Ante eius fragmenti initium, sic lego in Asconio. Circa medium, quo loco numerat, cum lex feratur, quot loca intercessionis sunt. Reliqua esse corrupta, indicat asteriscus in meo libro expositus. Ipsa autem uerba Ciceronis ita in meo Asconio sunt perscripta. EST VTIQVE IVS VETANDI CVM EA FERATVR QVANDIV * FERVNDI TRANSFERVNTVR. ID EST * LEX DVM PRIVATI DICVNT DVM * DVM SITELLA DEFERTVR. Quibus sane uerbis tot esse appositos asteriscos, indicium est loci corrupti & uitiati. Quid nos? possumus ne aliquam facere medicinam? uix puto, sed tamen conatui nulla est pœna proposita. Itaque sensum fragmenti cum ex Asconio ostenderim, numerari hoc quidem loco ab oratore, quot loca intercessionis sint, cum lex feratur, uidendum esse puto, an aliquid ad eum modum legi possit. EST VTIQVE IVS VETANDI CVM EA FE-

RATVR, QVANDIV VIDELICET NON PERFERTVR, ET QVANDIV VARIIS ADHVC OPINIONIBVS II QVI SVFFRAGII CONVENIVNT GRATIA FERVNDI TRANSFERVNTVR, IDEST PRORSVS ANTEQVAM FIAT LEX, DVM PRIVATI DICVNT, DVM TABELLAE DIRIBENTVR, DVM SITELLA DEFERTVR, &c.

Totum autem hunc morem, de priuatorum concionibus, tabellis diribendis, sitella deferenda, æquatione sortium, sortitione ipsa, copiose ante me explicarunt, Gruchius, qui de comitijs, & Paulus Manutius, qui de legibus Rom. eruditissime scripserunt. Ego sensum tantum Ciceronis uerbis paucis illustrabo. Ius, inquit, legi intercedendi, uel proprie magis, uetandi, (hoc enim uerbo solenni, qui intercedebant, utebantur) est, eo die quo ipsa fertur, non cum ante trinundino promulgatur. alioqui enim ante tempus, ut Liuius lib. XLV. *ait, intercessio fieri uidebatur. neque cum iam perlata est, id quod Plato etiam in libris suis nominatim prohibuit, sed in ipsis comitijs legum ferendarum causa, ubi lex iam à præcone recitata, à populo autem nondum iussa & accepta est: dũ priuati dicunt, producti in concionem à magistratu, legem suadendi, aut dissuadendi gratia; dum*

dum tabellæ, duabus notis. V. R. & A. insignitæ, populo diribentur, id autem est, distribuuntur: dum sitella, in quam tabellas diribitas conijciant, defertur per rogatores, dum æquantur sortes, hoc est dum sitella ita agitatur, ne qua sors subsultans existeret, sed ut pariter omnes æquatæ iacerent; dum sortitio fit, i. dũ sortes ipsæ & tabellæ ex urna extrahuntur, dum alia denique fiunt eiusdem generis.

Vnum tamen, quod hoc ipso tr. pl.] *L. uidelicet Trebellio, ut exponit Asconius, qui quidem locus Asconij, post aliorum emendationem, etiam mea sententia sic legendus est. L. autem Trebellius tribunus pl. est, quem non nominat. Nam uerbum, est, abest ab exemplaribus.*

Codicem attigit.] *Sumpsi ex Quint. lib.* v. *cap.* XIII. *Si accusator est minus efficaciter locutus, ipsa eius uerba ponantur: sin acri et uehementi usus fuerit oratione, eandem rem nostris uerbis mitioribus proferamus. ut Cicero pro Cornelio: Codicem attigit. Videlicet, cum dicturus erat, Codicem præconi aut scribæ eripuit, ipseq. recitauit. Est enim sermo de Cornelio ipso, pro quo habetur oratio. Quod ut intelligi possit, sciendum, ipso die ferendæ legis, solitum fuisse ipsam legem à præcone recitari, subijciente scriba, ut constat ex Asconio,*

nio, in argumento huius orationis. Nam ex Plut. in uita Catonis Vticensis, illud modo constat, per alium quendam ministrum, non per eum, qui ipse legem ferret, legem recitari solitam. de quo etiam uide Appianum li. I. bell. ciuilium. Nunc autem contra perpetuam istam consuetudinem, Cornelius ipse legislator, impediente Globulo collega præconem recitare, & scribam subijcere, ipse recitauit. De quo uide etiam orationem in Vatinium sub initium.

Vt spectaculum.] *De eadem re loquitur in oratione in toga candida.*

Res uulgare nomen esse Philerotis.] *Meus Asconius, Res * uulgare nomen esse Philerotis. Quid, si lacuna & esse concedatur, & repleatur sic? res nota est, uulgare nomen esse Philerotis.*

At enim extremi ac difficil. t. uocem illam &c.] *De hac uoce, quod huc in primis pertineat, uide Cicer.* IIII. *Tusc. ubi de nece Tib. Gracchi; & eundem in ea pro Rabir. perduellionis reo, & Liuium lib.* XXII. *post Cannensem pugnam, et alibi alios.*

Potestate abalienemur * Qui restituatur.] *Hic aliquid deesse, & res ipsa indicat, et notat asteriscus, qui etiam in Sigoniano Asconio non deest.*

Romam armati reuerterunt.] *Nam infra*

fra ubique eodem casu, consederunt, uenerunt, creauerunt. Alioqui libri, quos uidi, hoc quidem loco habent, reuertuntur.

Per Pontificem, quod magistratus nullus erat.] *Notandus locus de Pontificatu, quem quidam magistratum esse negant, alijs affirmantibus. qua de re quæ sit nostra sententia, in miscellaneis nostris coniectationibus exposuimus, an potius exponemus.*

Qui eloquentia cæteris.] *Ex Prisc. lib.* X.

In secundam pro Cornelio orationem.

SED si familiariter.] *Recte Sigonius adnotat, cum Q. Catulo agi: sed plura non dicit tamen, præsertim cum menda in contextu insideat; quam ego hoc in loco leuabo, ut opinor, ex ipsius Sigonij mente atque sententia. Si enim cum Q. Catulo agit, profecto cum loquitur, auunculi tui Q. Catuli, expeditius est, ut legatur, auunculi tui Q. Catule, nec expeditius solum, sed etiam uerius. Loquitur enim de Domitio tribuno pl. Q. Catuli auunculo, ut aperte extremum fragmenti insequentis attestatur. Quid? Idem Domitius & q. s. Q. autem Catulus Q. Catuli, quem Cicero alloquitur, auunculus esse non potuit, quòd notum*

sit, uel iam ex libris iurisconsultorum, cognatos in familia non esse, adgnatos tantum esse: quòd uidelicet ij soli gentilitatis ius habeant. Legendum igitur, ut dixi, auunculi tui Q. Catule.

Quid? auunculus tuus, clarissimus uir.] *Quid sit clarissimus, alio loco ostẽdit Asconius. cuius uidelicet maiores magistratus. adepti fuerunt. Sane hunc Domitium Q. Catuli auunculum, etiam clarissimum appellat idem Cicero, in orat. de leg. agr. ad pop. ubi etiam de erepta cooptandi potestate collegijs loquitur. de qua re ipsa scribit etiam Suet. in Nerone, & causam commemorat.*

Nam neque me diuitiæ.] *Cicero in Orat. unde se hæc desumpsisse testatur Sigonius, habet, Neque me diuitiæ. Ego ex Quintil. lib. IX. cap. IV. reposui, Nam neque. Illud autem, quod statim sequitur, Qui rebus his urbem &c. Sic legit Prisc. lib. X. Qui eis rebus urbem Italiamq. referserunt. Ego autem præterea in illo loco, Multi uenalitij mercatoresque, legendum existimo, multi uenalitiarij, mercatoresque. Venalitius enim, ipse seruus uenalis dicitur. Venalitiarius autem uenditor ipse seruorum, quem alij alio nomine mangonem uocant. Locus est apud Africanum li. IV. quæst. extat autem repetitus in D. uerb. et rer. significationibus. is ita habet, Mercis appellatione homines non contineri, Mela ait: & ob eam rem mangones non mercatores, sed uenalitiarios appellari ait: & recte. Coniunxit igitur Cicero uenalitiarios cum mercatoribus, ut omne genus negotiatorum complecteretur. Vtitur hoc uocabulo Vlpianus l. I. D. tribut. act. & l. XXXVII. D. Aedilicio edicto. Papinianus l. LVII. D. Mandati.*

In orationem in toga candida.

IN *senatu esse habitam orationem, præter Quint. quem citat Sigonius, primũ etiam ipsum fragmentum testimonio est.*

Cum sequestribus suis.] *Hos Q. frater in de petitione cons. & Marcus ipse in oratione pro Cœlio, sodales alicuius appellat: in Verrem, interpretes corrumpendi: pro Plancio, corruptores. Erant uidelicet amici candidatorum, qui pro ipsis candidatis pecunias tribubus largiebant.*

Nec se iam tum respexit.] *Nec, pro ne, reposui. Agere autem de Catilina incipit, cum hactenus de utrisque egisse uideatur.*

Vtrum æquo animo.] *Ita Sigonius in Asconio suo. nam in meo abest, animo.*

Alter pecore omni.] *Transit ad Antonium à Catilina, itaque à superiore fragmento segregan-*

gandum putaui. Quod uero mox sequitur,

Alter induxit eum.] *Quem induxerit is alter, notum est ex Asconio: quid autem sit is ipse alter, non ita. Est enim lacuna in Asconio, ubi id fortassis exponebatur. Nisi quòd, si contextus ipsius cursus non est interruptus, ut uideri uoluit Sigonius, de Catilina accipiendum est. Quod non satis placet, propter illud, quod inferius dicitur de Antonio ipso, teste Asconio. Atque ut istum, inquit, omittam.*

Quamobrem augere.] *In Asconio est asteriscus. In meo autem ibi.* Vt cœpit senten. ∗ coss. *Vix sine ope manu scriptorum proficias in emendando: nisi quòd pro, peruerti, ue reor ne legi debeat, perferri. hoc sensu. Si uultis P. C. præmia uestra augere, debetis Mucium, legem perferri impedire, ut cœpit, cupientem, S.C. prohibere. De duobus damnatis coss. dess. dixisse se ait iam Asconius. Tu uide in or. pro Corn. 1. ubi sunt illa, Vt spectaculum illud. & q. s.*

Te tamen Q. Muci.] *Quid uetat sententiá suam libere exponere, præsertim si absit temeritas? Nihil muto, sed tamen puto hoc fragmentum statim post illud. In iudicijs quanta uis, esse collocandum. Nam Asconius in expositione illius, In iudicijs quanta uis, recitaturus fragmentum hoc, Te tum Q. Muci, sic habet.*

habet. quod ita esse, manifestum est ex eo, quod statim dicit,

Quod caput etiam tum.] *Descripsi ex Asconio, ubi lectionem sic distinguo.*

Quo loco dicit Catiliná caput M. Marij gestasse. QVOD CAPVT ETIAM TVM PLENVM. *& quæ sequuntur. Esse autem hæc uerba Ciceronis indicant sequentia, Asconij primum, cum ait. Ne erretis. Deinde quòd de qua æde Apollinis locutus fuerit orator, declarat: quanquá declarationis etiam extremum perierit. Sepulto autem hoc fragmento, nusquam apparet ubi de hac æde Apollinis locutus sit Cicero.*

Quam reliqua uita es consecutus.] *Meus Asconius, qua reliquum uitæ consequutus?*

Quid ego.] *Meus liber. Quid ergo. Cum autem in Sigonij libro legeretur, Quid ego, ut uiolaueris prouinciam, prædicem? non ut te illic &c. repleui, prædicem, cuncto populo R. clamante ac resistente. Idq. ex ipso Asconio, qui duobus in locis recitat fragmentum, primum, extrema parte auctius, deinde prima locupletius.*

Prætereo illum nefarium.] *Etiam hoc fragmentum à superiori esse putaui secernendum.*

Quod auunculus nunquam.] *Hic est fortassis locus ille, quem explicans superiora Asconius, Attigit, ita loquens. L. quoque Bellienus dam-*

damnatus est, quem Cicero ait auunculum esse Catilinæ. Sin minus autem is locus est, at certe, quæ inde attulimus, ualent ad hunc locum nostrum illustrandum. Ibidem in eius fragmenti extremo, cum legeretur, in tertium locum esse subiectum, reposui, esse sublectum. Quo quidem in uerbo Liuium etiam error similis in quibusdam libris occupauit. Locus est. lib. XXIII. *ubi de dictatura Buteonis, Ita, inquit, in demortuorum locum sublecturum, ut ordo ordini, non homo homini prælatus uideretur. Quo quidem in loco libri quidam legunt per mendum, subiecturum.*

In rempub. ficas distringere.] *Alias est in repub. putaui rectius legi, in remp.*

In orationem pro Q. Gallio.

POSTERIVS *hanc orationem fuisse habitam oratione in toga, Asconius idem testatur, quem citat Sigonius, eodemq. illo in loco in commentario uidelicet orat. in toga. fere in medio.*

Vt clamor.] *Ex Aquila & Quintiliano lib.* VIII. *cap.* III. *Quos utrosque conferre necesse est ad fragmentum recte conformandum. Nam ab utroque separatim concise nescio quo modo recitatum. Aquila plenius recitat, sed pro*

pro potatione, habet potione, & omittit uerbũ immũda, quod utique Quintilianus corrigit.

Loquor enim.] *Alias legitur sic, Loquor enim quæ sum ipse expertus. Vnus quidam poeta &c.*

An ista si uera.] *Ex Quint. lib.* II. *cap. ultimo propius finem, persuadendi uis, inquit, asseueratione constat, quæ interim plus ipsis probationibus ualet. An ista, inquit Callidio Cicero, si uera essent, sic à te dicerentur.*

Tu istuc M. Callidi.] *Præter Ciceronem, quem solum nominat Sigonius, ex Quint. etiã lib.* II. *& eodem illo loco, quem proxime recitaui, & paulo ante extremum eius fragmenti peti potest. Hunc autem Callidium Gallum fuisse accusatorem, etiam Sigonius admonuit, Cui subtilitatem tribuit Quint. lib.* XII. *cap.* X. *et in Bruto à Cicerone, dulcis potius orator quàm uehemens appellatur. Dixisse autem illum pro domo Ciceronis, scribit Quint. lib.* X. *cap.* I. *affuisse autem Miloni, notat Asconius in argumento.*

In orationem de proscriptorum liberis.

QVID enim crudelius, quàm homines honestis parentibus ac maioribus natos.]

tos.] *Quærit Phauorinus apud Gell. lib.* XIII. *cap.* XXIII. *Ociose ne M. Cicero in orat. de lege agrar. kal. Ian. prædæ & manubiarum uocabulum coniunxerit, iterumq. coniunctim utraque repetierit, cum fere idem significare utrunque uideatur. Quæramus & nos (ociosi enim uidelicet sumus) de appellatione parentum ac maiorum, coniunctim in hoc loco à Cicerone usurpatorum, ociose ne factũ fuerit. Scribit Festus, uel Paulus potius lib.* XIV. *parentem uulgo patrem aut matrem appellari, iurisprudentes tamen dicere, auos et proauos, auiasq. & proauias parentum nomine appellari. Adferamus igitur ex libris iurisconsultorum aliquid, ad quos à Festo relegamur: Locus est Pauli iurisc. in lege* 10 *uersu Parentes D. de gradib. affinit. is ita habet. Parentes usque ad tritauũ apud Rom. proprio uocabulo nominantur. Vlteriores, qui non habẽt speciale nomen, maiores appellantur. Quod si est, ut est, plane Cicero non ornatus tantum aut numeri melioris causa usurpauit, ut parentibus & maioribus diceret, sed ut duas res duobus uocabulis exprimeret. Parentum enim nomine significauit ascendentes usque ad tritauum, maiorum autem, ascendentes ipsos ultra tritauum. Hæc ita dixisse satis erat, nisi meminissem, quibusdam eruditis ipsis uiris, de loco*

loco Pauli recitato, secus aliquando fuisse uisum, quos nos de loco superiore ita uerba facientes audiuimus, ut Pauli sententiam aliam esse quàm diximus uellent ostendere. Dicunt ex animo ne an de industria, Paulum non ita sentire, nec ita loqui, ut parentum appellationem ad tritauum tantum extendat, sed ita, ut indicaret, ascendentium propria & specialia nomina ad tritauum tantum reperiri, dicique, & patrem, & auum, & proauum, & abauum, & atauum, & tritauum: deinceps autem dici communi iam nomine et esse omnes maiores. Quam eorum expositionem cum manifesto refellat Pomponius apud Vlpianum in lege 4. *de in ius uocando, qui aperte omnes ueteres existimasse refert, parentes usque ad tritauum appellari; superiores autem maiores dici: tum ipsa etiam illa Pauli uerba, quæ attulimus, si legantur attentius, redarguunt. sic enim habent. Vlteriores, qui non habent speciale nomen, maiores appellantur. Nam si uera esset illa, quam adferunt, eorum expositio, dicere sane Paulus debuit præcise: Vlteriores non habent speciale nomen, & non, quẽadmodum dicit, Vlteriores, qui non habent. Quod si, ut fingimus, sic dixisset, superflua erant quæ consequuntur, aut ad eum modum certe efferenda. Sed maiores appellantur.*

Nunc

Nunc autem, ex ijs quidem uerbis, ut leguntur in omnibus exemplaribus, Vlteriores, qui non habent speciale nomen, maiores appellantur. Illud consequitur, quod est nostræ interpretationi cōsentaneum, illorum aduersum. Ergo qui citeriores sunt, & nomen habent speciale, parentes appellantur. Addidi ad finem eius fragmenti ex Quint. illud, Sed ita legibus Syllæ &c. *Sic enim Quint. lib. II. cap. I. Mollienda est in plerisque alio colore asperitas orationis, ut Cicero de proscriptorum liberis fecit. Quid enim crudelius, quàm homines, &c. Itaque durum id esse summus ille tractandorum animorum artifex confitetur, sed ita legibus Syllæ contineri statum ciuitatis affirmat, ut his solutis stare ipsa non possit. Et certe ad explicandam sententiam de molliendo, necessarium Quintiliano fuit hoc additamētum adiungere, ex eodem Cicerone, in quo rationem molliendæ orationis demonstraret.*

In orationem contra concionem Q. Metelli.

QVID *ego de hac oratione dicam? cuius hypothesim eleganter proposuit Sigonius. Fragmenta autem ita pauca, ita etiam parua sunt, ut industriæ nostræ locus in ijs explicandis esse non possit?*

possit? Nisi forte aut illud significandum nunc est, quod alio loco copiosius exponemus, locum illum, Percussisti autem me de oratione prolata, qui locus est, ex III. *libro epistolarum ad Atticum, epistola Tu quidem, ad hanc orationem uix pertinere, ad illam in Clodium & Curionem magis spectare uideri: quod ante nos etiam adnotauit Paulus Manutius in eruditissimis suis in eas epistolas commentarijs. Aut (quoniam in re litteraria liberas omnium sententias esse oportet.) illud etiam obiter admonendum, quòd existimo hanc orationem eandem esse cum illa, de qua Plutarchus in Crasso sic scribit. In illa, inquit, oratione, quam de suo consulatu habuit Cicero, Crassum ad se noctu uenisse refert, epistolam à Catilina missam tenentem, qua illum quasi conscium ad firmandam coniunctionem hortabatur. Atque hac de causa semper in posterum Ciceronis inimicus Crassus est habitus. De qua re tota sic existimo. Mos erat in deponendis magistratibus, concionem haberi ab eo, qui deponebat. eius rei potestate priuatus fuit Cicero à Metello trib. pl. quod utrunque ipse lib.* V. *epist. fam. significat: sed iurare tamen permissus cum esset, unum hoc simulatus se facturum esse, quod permitteretur, iurauit uerissimum pulcherrimumq. iusiurandum, remp. atque urbē*

Romam sua unius opera esse saluam, sicut loquitur in oratione in Pisonem sub initium. de quo etiam in ea pro Sylla ita habet. Adestote omnes animis, qui adestis corporibus &c. Ego consul, cum exercitus perditorum ciuium clandestino scelere conflatus crudelissimum & luctuosissimum exitium patriæ conflauisset, cum ad occasum &c. meis consilijs, meis laboribus, mei capitis periculis, sine tumultu, sine delectu, sine &c. incensione urbem, internitione ciues, uastitate Italiam, interitu remp. liberaui. Ego uitam omnium ciuium, statum orbis terræ, urbem hanc denique, sedem omnium nostrum, arcem regum ac nationum exterarum, lumen gentium, domicilium imperij, quinque hominum amentium ac perditorum pœna, redemi. Et mox. An me existimasti hæc iniuratum in iudicio non esse dicturum, quæ iuratus in maxima concione dixissem? Et apertius in ea in Pisonem. Ego cum in concione abiens magistratu, dicere à tr. pl. probiberer quæ constitueram, cumq. is mihi tantummodo, ut iurarem, permitteret: sine ulla dubitatione iuraui, Remp. atque hanc urbem mea unius opera esse saluam. Mihi populus Rom. Vniuersus illa in concione non unius diei gratulationem, sed æternitatem immortalitatemque donauit, cum meum iusiurandum tale atque tantum iuratus

ratus

ratus ipse una uoce et consensu approbauit. Intelligẽdum est igitur, orationẽ de suo consulatu aut iusiurandum fortassis fuisse, quo simul etiã Metelli concioni respondebat: aut certe, si ita libet Metellinam ab hac de consulatu separare, de Metellina dicendum, ut alij ante me uoluerunt, de hac, de consulatu suo, existimandum eam fortassis esse, quam, cum meditatam iam habuisset, etiam pro concione, nisi à Metello prohibitus fuisset, fuerat habiturus. cuius, ut opinor, fragmentum unum ex Nonio descriptum, inferius exponemus.

Qui iudicabantur.] *De coniuratis loquitur.*

In orationem de suo consulatu.

De hac oratione quæ sit mea sententia, dixi in ea, quam proxime exposui. unum addo; epistolam, quam à Catilina fuisse Plut. ait in uita Crassi, eandem in uita Ciceronis uocat ἀδέσποτον, Catilinam enim Romæ tũc fuisse ait. Certe missam fuisse ad Crassum ab aliquo ex coniuratis, etiam Dion assentitur. Sed hæc aliò pertinent.

Quorum luxuries fortunata censa peperit.] *Nonius in dict. census, exponens neutro genere etiam id uocabulum usurpari, adducit hæc uerba ex Ciceronis Consulatu. De libris*

Consulatus, dicemus copiosius in tomo tertio. Summa est, Ciceronem, præter hanc orationem, cuius Plut. ut superius dixi, meminit, et Græcum commentarium, scripsisse tres libros uersibus Latinis de suo Consulatu, & quidem, ut ibi constabit, uersibus heroicis. Hoc igitur fragmentum aut deprauatum est, si ad libros de Consulatu pertinet: cum enim habeat similitudinem heroici, non est heroicum: aut, si non est deprauatum, ad hanc est orationem, mea sententia, referendum. de qua re lector iudicet.

In orationem de rege Ptolemæo.

HAEC *fuit habita Cn. Cornelio Lentulo L. Marcio Philippo coss. ut patet ex epistola* I. *fam. scribit enim de hac re ad P. Lentulum, tum Ciliciæ procos.*

In orationem pro M. Scauro.

BIS *fuisse defensum Scaurum à Cicerone reperio, semel, cum ambitus accusatus esset, quæ oratio in commentarijs extitit: iterum, cum repetundarum, quod quidem in hac fuit oratione, teste Asconio. Totum, quod dixi, ostendit Quint. lib.* IIII. *cap.* I. *ad finem. Ne quis*

Apostrophen miretur, inquit, idem Cicero pro Scauro ambitus reo, quæ causa est in commentarijs, (nam bis eum defendit) prosopopeia loquentis pro reo utitur, pro eodemque Scauro reo repetundarum, etiam exemplis. De utraque locutus uidetur Cicero III. *ad Q. fratrem: Orationes efflagitatas pro Scauro & Plancio absolui. Et post, Scaurũ, inquit, beneficio defensionis ualde obligaui. Etsi enim procliuius est de posteriore accipi, tamen ad defensionis beneficium accommodatius est de utraque intelligi. Equidem hanc istam, præ manibus quam habemus, longam extitisse non existimo, septem tantum folia replere potuisse arbitror. Id ita esse, ex Asconio intelligi potest, qui partes orationis assignat, qui uersus etiam ab initio & ab extremo numerat.*

Vexatus à Vario tr. pl. est non multo ante.] *Sic lego ex ipso Asconio: quanquam illud, non multo ante, uidendum an non ad Asconij potius commentarium pertineat.*

Si mehercle Iud. pro L. Tubulo dicerem.] *Hunc Tubulum inter sacrilegos & impios Cicero numerat lib.* I. *Nat. deor. Quid de sacrilegis, quid de impijs perniciosisq. dicemus?*

Tubulus si Lucius unquam,
Si Lupus, aut Carbo, aut Neptuni filius,

ut ait Lucilius, putasset esse deos, tam periu-

rus, aut tam impius fuisset. Vnde & lib. v. *Fin. Cui Tubuli odio nomen non est? inquit.*

Vos quoque de familia.] *Descriptum ex Marcellino, qui lib.* XXII. *ita scribit. Has mõstrosas raritates in bestijs, in ædilitate Scauri, uidit Romanus populus primitus, patris illius Scauri, quem defendens Tullius imperat Sardis, ut de familia nobili ipsi quoque cum orbis terrarum auctoritate sentirent. Liquet autem fragmentum istius orationis esse, cum Sardos nominat, quorum prouinciam expilasse accusabatur Scaurus hoc isto iudicio de repetundis. Hoc autem, ut opinor, illud est, quod Quintil. scribit lib.* VI. *cap.* I. *Ciceronem in hac oratione, Scauri maiorum merita diligenter prædicasse. quanquam & infra non desunt eius rei indicia.*

Domus tibi deerat.] *Hæc uerba, præter Ciceronem ipsum, quem locum citat Sigonius, etiam refert Quint. lib.* IX. *cap.* II. *&* IIII. *P. Victorius, scriptor uarius & diligens, in uarijs suis lectionibus lib.* XVIII. *cap.* IX. *putat in illo uerbo,* ALIENOS, *quod statim sequitur, inesse uitium. Nam ego utrunque fragmentum in unum coniungo.*

Redimunt se.] *Huius fragmenti ita meminit etiam Seruius in* I. *Georg. Fibri, inquit, canes sunt Pontici, quorum testes apti sunt medica-*

dicamentis, propter quod, ubi se quæri sentiunt, eos secant. De quibus Cicero, Redimunt se ea parte corporis, propter quam maxime petuntur.

Pellitis testibus.] *Pelliti dicuntur ferarum pellibus amicti: qualem uestitum Tacitus in libello de pop. & rit. Germaniæ, Germanis attribuit: ut Pelliti dici uideantur pro rudibus et barbaris. Propertius, Pellitos habuit rustica turba patres. Quidam testes Pellitos frigidos & subornatos intelligunt.*

Illo constituisse in templo.] *De æde Castoris loquitur, ut etiam adnotauit Asconius, ab A. Posthumio dict. bello Latino uota, & ab eius filio duumuiro dedicata. Liuius lib.* II. *Quod de Metello dicit, & exponit satis Asconius, & significat præterea Cicero ipse alibi, Verr.* III. *Dubitamus, inquit, quid iste in hostium præda molitus sit, qui manubias sibi tantas ex L. Metelli manubijs fecerit? Quo in loco uide etiam Pedianum. Sed scribit & Plut: quod huc propius quodammodo spectare uidetur, Cæcilium hunc Metellum Floræ simulachro, pulchritudine insigni, hanc ædem exornauisse. Quod autem inquit, In uestro conspectu, significat in foro fuisse ædem positam, ut idem ait Verrina* III. *& Verr. septima in fine. Halic. & Appianus prope ædem Vestæ extru-*

ctam fuisse significant.

Vniuerse.] *Ex Carisio lib.* II. *de aduerbio in fine.*

In orationem in Clodium & Curionem.

HANC *orationem cito post ipsam Clodij, in iudicio de sacris Bonæ deæ uiolatis, absolutioné, habitam fuisse existimo, id est, ut ego puto, idibus ipsis Maij, M. Messalla, & M. Pisone coss. cum Clodius quidé paulo ante initum ab ijs Consulatum fuisset absolutus. Liquent omnia pene ex epistola, Quæris ex me, lib.* I. *ad Att. Sic enim scribit Cicero eo in loco. Nam ut idibus Maij in senatum conuenimus, rogatus ego sententiam, multa dixi de summa Rep. atque ille locus inductus est à me diuinitus, Ne una plaga accepta Patres conscripti conciderent, ne deficerent: uulnus esse eiusmodi, quod mihi neque dissimulandum, neque pertimescendum uideretur, ne aut ignorando stultissimi iudicaremur* * *bis absolutum esse Lentulum, bis Catilinam, hunc tertium iam esse à iudicibus in Remp. immissum. Erras Clodi &c. De hac oratione etiam illud est eadem epistola. statim initio, Cum ille, inquit ad conciones confugisset, in ijsq. meo nomine ad inuidiam uteretur,*

retur, dij immortales quas ego pugnas et quantas strages edidi, quos impetus in Pisonem, in Curionem, in totam illam manum feci? Quomodo sum insectatus leuitatem senum, libidinem iuuentutis? sæpe, ita me dij iuuent, te non solum auctorem consiliorum meorum, uerum etiam spectatorem pugnarum mirificarũ desideraui. Illud, haud paulo difficilius est ostendere, quò pertineat, quod ita lib. III. *ad Att. epistola Tu quidem scriptum extat. Quæ spes est ista eodem tr. pl. & inimico cos. des? Percussisti autem me de oratione perlata: cui uulneri, ut scribis, medere, si potes. Scripsi equidem, olim ei iratus, quod ille prior scripse rat, sed ita compresseram, ut nunquam emanaturam putarem: quomodo exciderit, nescio: sed quia nunquam accidit, ut cum eo uerbo uno concertarem, & quia scripta mihi uidetur negligentius quàm cæteræ, puto posse probari non esse meam. Sed certe huc referri locum oportere, deq. ea oratione loqui, illa fuit non leuis coniectura, quod inferius in epistola, Accepis idibus, sic loquitur idem Cicero. Sed quid Curio? an illam orationem non legit? quæ unde sit prolata, nescio. Plane enim & de eadem oratione loquitur, & ijsdem pene uerbis. hic autem aperte Curionem nominat. Adiuuat hunc coniecturá illa etiam altera non prorsus*

ſus contemnenda, quòd cum contra concionem Q. Metelli apud populum dixiſſe uideatur Cicero, queri uix & admirari potuiſſet de prolata. quantulum enim diſtat, apud populum quid dixiſſe, aut edidiſſe? Hæc autem in Clodium & Curionem cum in ſenatu, ut Quintil. lib. III. *cap.* IX. *ſcribit, & ex fragmento ultimo conſtat, habita ſit, paucis uidelicet teſtibus, iuſtiorem habet cauſam admirationis eius, de qua dixi. Quanquam ego quidem, niſi ſuperiore coniectura niterer, in diuerſam potius opinionem concederem. nam & procliuius erat de Metello interpretari, quem ibidem dicit fuiſſe cos. des. quàm de Curione, cuius, niſi forte in tribunatu Clodij, nulla ibi fuit expreſſa facta mentio: & difficile probare eſt, Curionem priorem, quod ibi dicit, in Ciceronem ſcripſiſſe, quod de Metello probare eſt facillimum: nec ualde item expeditum, oſtendere, quomodo negligentius hæc ſcripta uideatur, in qua ſe, ut ſupra oſtendimus, prœliatum eſſe, & pugnas atque ſtrages maximas edidiſſe ſcribit. Iudicent igitur alij. nos, quod probabilius mentem noſtram feriebat, id ſecuti ſumus, idq́. etiam expoſuimus.*

Sed credo.] *Bis hoc fragmentum citatur à Nonio, ſemel dictione Longus, iterum, et quidem planius ac emendatius, dictione Specula &*

& Speculum: cui nos loco in referendo fragmẽto magis adhæſimus. nam alibi pro, te, legitur &, abeſtq́. initio particula, ſed.

Tune cum uincirentur.] *Deſumptum ex Quint. lib.* VIII. *cap.* III. *ſub finem. Sunt, inquit, & illæ breues ſimilitudines, ut illud Ciceronis in Clodium, Quo ex iudicio. De quo autem iudicio loquatur, diximus in argumento. Euaſit profecto ex eo Clodius, contra etiam Ciceronis teſtimonium, ut eſt apud Valer. & Plutarchum, & in illa eadem ad Atticum epiſtola, de qua ſupra ex libro primo.*

Erras Clodi.] *Hoc ex eadem eſſe oratione ita teſtatur ipſe Cicero in eadem illa epiſtola, de qua dixi, cum de uniuerſa oratione in genere diſputarem. nam ad finem eius fragmenti ſic inquit, Sed quid ago? pene orationem in epiſtolam incluſi.*

In orationem pro A. Gabinio.

CUM *ſuperius, explicans rationem orationis in Gabinium, ea ex Quintiliano adnotarim, quæ huc translata, ſi non lucis, at copiæ ſaltem aliquid adferre poſſint, non uideo quid præterea hic poſt Sigonium præſtare queam. Certe ex illo loco, prius in Gabinium, quàm pro Gabinio dixiſſe Ciceronem conſtat: id quod ipſum hoc etiam*

etiam fragmentum indicat, quod unicū ex Hieronymo ablatum est. Dion existimat Gabinium L. Domitio Ap. Claudio coss. defensum esse, sed de qua defensione loquatur, cum multarum rerum, & à multis factionibus postulatus fuerit, is demum expedire poterit, qui diligenter, quid M. Cicero libro toto epistolarum tertio ad Q. fratrem scripserit, attenderit.

In ea, quæ pertinent ad orationem pro Quintio.

SVBIVNGERE *deinceps uisum fuit nonnullarum orationum fragmenta, quæ extant illæ quidem editæ cum impressis: sed quoniam imperfectæ editæ fuerunt, imperfectio hæc illorum fuit hac ratione subleuanda.*

Turpis occultatio sui.] *Sumptum ex Vlpiano in Pandectis l.* VII. *§. Quid sit, sub titulo, Quibus ex cau. in poss. eatur. Quid sit autem, inquit Vlpianus, latitare, uideamus. Latitare est, ut Cicero definit, turpis occultatio sui. Potest enim, & quæ ibi sequuntur. Equidem cum multo ante fragmentum in Vlpiano obseruassem ad orationem certe pro Quintio pertinere, tum demum existimaui, cum Fr. Balduini, docti hominis, & diligentis, commentarium legerem de iurisprudentia Muciana. cum enim in*

in oratione pro Quintio eam edicti partem recitasset Orator, QVI FRAVDATIONIS CAVSA LATITARIT, CVI HAERES NON EXTABIT, QVI EXILII CAVSA SOLVM VERTERIT, *uerisimile esse uidetur, eum, eodem illo in loco, uerbum latitandi exposuisse. uerumenimuero illam partem integram non habemus.*

In ea, quæ pertinent ad orationem pro M. Fonteio.

Quod illi uenenum posse arbitrabantur.] *Quod, potare uidelicet dilutius. Meum exemplar Marcellini, habet, quòd, graui accentu notatum. quod si recte est, uidendum an legi possit, quòd illic uenenum esse arbitrabantur, hoc sensu. Galli merito potabunt dilutius, quia in uino meraco uenenum inesse arbitrabuntur.*

Mater tua dum uixit.] *Haud scio, an aliunde quàm ex oratione desumptum sit. Refert eo loco Quint. lib.* VI. *cap.* IIII. *multos multorum, ipsiusq. adeo Ciceronis iocos, quos omnes ex orationibus esse, nemo contenderit. Sed assentiamur ex oratione esse, illud certe non addere non possumus, ad ænigmatis huius expositionem, quod infert ibidem Quint. Dicebantur, inquit, dum hæc uixit, infames fœminæ ad eam con-*

conuenire solitæ, post mortem autem eius bona ueniebant: ut illic ludus per translationem dictus sit, hic magister, per ambiguitatem. Ludus enim proprie discentium est. unde illud, aperire ludum. hic autem de turpi conuenticulo dicitur. & alias magister doctorem & præceptorem significat: hic eum, qui in auctione bonis alicuius uendendis ita præerat, ut ei, qui plurimo liceretur, rem addiceret. ex Theophilo in institutiones Iustiniani.

Frumenti maximus.] *Hoc ex Aquila descriptum. id quod uidit etiam Sigonius, & inter errata reposuit.*

In ea, quæ ad orationem de lege agraria pertinent.

De lege agraria, quattuor, ut uidetur, Cicero orationes scripsit. harum tres extant, & prima quidem, ut constat, abscisso capite: quò uidentur hæc collecta fragmenta pertinere. Quartam desideramus, uidelicet alteram ἐκ τῶν ἀποσπασματίων. de hoc sic Cicero lib. 2. ad Att. Fuit mihi commodum curare, ut meæ quoque essent orationes, quæ consulares nominarentur, quarum una est in senatu Kal. Ian. altera ad populũ de lege agraria etc. Sunt præterea duæ breues, quasi ἀποσπασματία legis agrariæ.

Prædam,

Prædam, manubias.] *Vtrunque quid sit, et quomodo differat, Gellius lib. XIII. cap. 23. Sectio autem à sectoribus est dicta, cuius nominis uis non est iam ignota, sed hunc tamen locum sic citat Nonius dict. Manubiæ, Prædas, manubias sectiles castra denique Cn. Pompeij sedẽte imperatore cẽsores. Haud scio quã recte.*

Ex auro coronario. *De hoc uide Gellium lib. V. cap. VI. Cic. in or. Pisoniana Aurum inquit coronarium, lex generi tui & decerni, & te accipere uetabat, nisi decreto triumpho. intelligit autem legem Iuliam. De auro coronario est etiam titulus in libris iuris inter constitutiones Augustorum.*

Veniet igitur.] *Citat Aquila in disiuncto, sed nomine auctoris, ut uidetur, dissimulato. Legendum autem esse, sub præcone, non, ut erat, sub præconem, etiam meus liber ostendit; qui in non nullis alijs etiam discrepat.*

In ea, quæ pertinent ad orationem in Pisonem.

Hvivs *orationis non habemus principium. desunt autem inde, ut ego ex Asconio colligo, uersus plus minus centum, in libris quidem in folio excusis, id autem est integrum fere foliũ. hæc lacuna aliqua ex parte replebitur, ijs* qui-

quidem fragmentis, quæ omnia ad initium pertinent.

Quod minimum.] *Est in Asconio, nec Sigonius non animaduerterat, sed Sigonianæ operæ, dum nimium festinant, cæcos, ut canis, catulos pariunt. id ita esse, liquet ex correctione erratorum.*

Proxime Pompeium sedebam.] *Diomedes lib. I. ubi de præpositione, hæc citat ex Cicerone in Pisonem, cum ostendit quo pacto præpositiones cũ accusatiuo iunguntur. Cicero, inquit, in Pisonem, Proxime Pompeium sedebam. id autem citat ibidem eundem Ciceronem in epistolis ad Att. eandem præpositionem prope, cũ datiuo casu coniungentem. Quo in loco etsi uerba non referat, nihil tamẽ dubium est, quin sint illa ex epistola Vereor, lib. I. Proximus Pompeio sedebam. Infra autem quæ uerba adducit pro exẽplo, Propius grammatico accessi, sunt Cornelij Nepotis de uiris illustribus.*

In commentariorum librum XIII.

HI *commentarij quid sint, abunde declarauit Sigonius in fragmentum orationis pro A. Gabinio. eum uide.*

ANDR.

ANDR. PATRICII IN TOMVM SECVNDVM FRAGMENTORVM M. TVLLII CICERONIS SCHOLIA.

NVMEREMVS, *si placet, titulos epistolarum Ciceronis. Pauperis enim esse aiunt, pecus numerare. Scimus ad familiares extare libros XVI. & totidem ad Atticum. ad Brutum extat liber unus, ad Q. fratrem libri tres: reliqua titulis tantum & fragmentis, quasi lupum auribus, tenemus. sed teneamus tamen potius, quàm è manibus dimittamus. periculi in re nihil est, lucri autem etiam aliquantum. Sunt igitur Ciceronis epistolarum libri, quorum quidem fragmenta habemus, hi.*

AD TITINIVM.

ad Cornelium Nepotem lib. duo, sed ex priore fragmenta desunt.

ad C. Cæsarem lib. III.

ad Cæs. iuniorem lib. III.

ad Pansam lib. III. sed secundi fragmenti nullum extat.

ad Hirtium lib. IX. sed fragmentum

Q

mentum tantum II. V. IX. *habemus.*
ad Brutum lib. VIII. *sed non omnium fragmenta extant.*
ad filium lib. II.
ad Caluum.
ad Catonem.
Cereliam.
L. Plancũ, ad singulos, ut puto, lib. unus.

De quibus omnibus deinceps dicemus, si quid erit, quod in tanta obscuritate uetustatis in medium adferri possit, præsertim à properantibus ad alia. Scribit Suetonius in lib. de claris grammaticis, etiam ad Atticum Satriũ quendam equ. Rom. extitisse Cic. epistolas. de hoc enim mihi potius quàm de liberto ipsius Q. Cæcilio Epirota loqui uidetur Plinius. Sed alios quoque plerosque extitisse non dubito. Verum nos eos tantum numerauimus, ad quos fragmenta epistolarum ulla inuenire potuimus.

In epistolam ad Titinium.

TITINIUM, *non Titinnium scribendum esse, ex Græcis & manuscriptis Latinis libris, itemq. numis argenteis, adnotauit in Liuium Sigonius. Hunc nostrum, uirum fuisse eruditum, sunt opera illius quæ testentur, quorum sæpe meminit Nonius Marcellus, ut Veliterna,*

na, ut Gemina, ut Psaltria, ut Fullones, ut prœlium, ut cætera quorum meminit etiam Carisius. eundem enim esse illum cum eo ad quẽ hæc scribuntur, mihi quidem fit uerisimile. Festus etiam ipse in suis antiquitatibus, ubi agit de Osculana pugna, sic scribit. Eius, inquit, rei meminit Titinius hoc modo: Hæc quidem quasi Osculana pugna est. & paulo ante, in dict. Oscum, quem locum sic lego. In omnibus fere, inquit, antiquis commentarijs scribitur Opscum pro Osco, ut in Titinij fabula quinta. Qui Opsce & Volsce fabulantur: nam latine nesciunt. A quo etiam uerba impudentia & elata appellantur Opscena, quia &c. In uulgatis autem Festi libris pro Opscum, legitur Opicum, pro Opsce, Osce. Cum tamen meam lectionem ipsa Obsceni, uel (ut fortassis olim scribebant antiqui) Opsceni appellatio confirmet. Neque autem etiam nouum est literam pro litera à librarijs esse repositam. Nam, ut, quod nunc occurrit, potissimum exponam de i, & s. literis commutatis; locus est apud Cicer. II. leg. obscurus, sed antiquitatis plenissimus. Is uulgo ita legitur. Neque necesse est edisseri à nobis, quæ finis funestæ familiæ, quod genus sacrificij lare ueruecibus fiat, quemadmodum os reiectum terræ obtegatur, & quæ sequuntur. Cum sit mea quidem sententia legendum.

quod genus sacrificij Lari ueruecibus fiat. quẽadmodum os resectum (non, ut erat, reiectum) terra obtegatur. Intelligit enim procul dubio Cicero idem illud. *de quo sic Festus Pompeius, Membrum abscindi mortuo dicebatur, cũ digitus eius decidebatur, ad quod seruatum iusta fierent, reliquo corpore combusto. sunt autẽ, & quidem docti uiri, qui pro reiectum, exceptum, legere uideantur, Varronem ut opinor imitati. Sed non dubitaui tamẽ emendationem hanc meam, propius ad scripturam ueterem accedentem, & Festi quoque auctoritate innixam, hoc loco exponere earum rerum studiosis. de qua aliquando copiosius loquemur, cum explicatione etiam illius ipsius antiquitatis, quæ quidem illo uerbo continetur. Nunc ad Titinium redeamus, quem certe fuisse, ut dixi, eruditum, præter cætera, etiam fragmentum ipsum, quod hic refertur, testimonio esse potest. ita enim perscriptum est, ut eiusmodi sane epistolæ, uix ad doctum ipsum uirum scribe retur, locus nisi esse posset.*

L. Plotium quendam.] *Seneca declam.* II. *Primus omnium Latinus Romæ Plotius fuit puero Cicerone.*

In

In epist. ad Cornelium Nepotem.

SVNT, *qui epistolarum ad Cornel. Nepotem libros* XVI. *numerant. cuius rei, quoniam nos nihil affirmare possumus, penes illos fides esto. Certe Gell. lib.* XV. *cap.* XXVIII. *hunc M. Ciceronis amicum familiaremq. fuisse, ut qui maxime, testatur, eundemq. de ipsius uita libros aliquot conscripsisse. frequens ipsius in libris ueterum mentio habetur. referre locos nihil necesse est.*

Neque enim quicquam aliud.] *Desumptũ ex Marcellini lib.* XXI. *Vbi mores Constantij & uitæ consuetudinem describit. Nam cum Marci principis uerecundi, ut ipse ait, exemplum ad dissimilitudinem indicandam adduxisset, qui coniuratis ultro pepercerat, sic infert. Vt Tullius quoque docet, crudelitatis increpãs Cæsarem in quadam ad Nepotem epistola. Neque enim quicquam aliud est felicitas, inquit, nisi &c. Non dubitaui autem illa quoque, Ergo in perditis impijsq. &c. Ciceronis esse asserere, propter illa quæ dixerat Marcellinus, Cæsarem crudelitatis à Cicerone accusari in hac epistola. Scribit etiam idem Marcellinus lib.* XXVI. *initio, Tullium, quem ibi testem appellat, reuerendum in quadam ad Cornelium*

Nepotem epistola affirmare, quosdam ueterum, formidantes ea, quæ scriptoribus historiæ suorum temporum solent sæpe fraudi esse atque inuidiæ, cognitionem actuum uariorum, stylis iam uberibus explicatas, non edidisse superstites. Sed Marcellinus Tullij hanc sententiam, cum uerbis ipsius, ut mihi quidem uidetur, non exprimeret, auctor nobis hoc quidem in loco idoneus esse non potuit fragmenti conformandi.

In epist. ad C. Cæsarem.

TVM cum ea.] *Bis citatur à Nonio, primum in uerbo, consequi, ubi etiam legitur, non tum, sed tunc: deinde in uerbo Honor, ubi legitur, Tu. In hoc fragmento, induxi illud, quod erat ad finẽ adpositum à Sigonij operis, Honor, gratia, & pulchritudo. est enim manifeste Nonij, uim uerbi, honor, explicante.*

Sed ego quæ monumenti.] *Hoc fragmentum in librum incertum ad C. Cæs. reposuerat Sigonius, ego ad lib.* II. *putaui referendum, innixus uestigijs Nonianis. sic enim ille. Monumenti proprietatem à monendo M. Tullius exprimendam putauit ad Cæsarem epistolam* II. *id est, ut ego arbitror, epistolarum* II. *ut subaudiat librum. Quod autem hic de monumenti*

menti uocabulo ait Cicero, sumptum etiam esse uidetur ex libris iurisperitorum. Nam & Vlpianus. l. ij. D. relig. & sumptibus funere, monumentum esse ait, quod memoriæ seruandæ gratia existit. Et Florentinus l. Monumentum D. eodem. Monumentum generaliter appellat rem omnem memoriæ causa in posterum proditam.

Quæ si uideres, non de exer.] *Inest, ut puto, aliquid uitij, sed nos diuinare possumus, certi afferre nihil possumus.*

Amici nonnulli.] *Meus Nonius dict. Contemno, sic habet ad extremum, Ac pro nihilo haberi senatus uoluit. Perperam: sed tamen adnotandum fuit. erit enim fortassis, qui leget, Ac pro nihilo haberi à senatu uelint.*

In epist. ad Cæs. iuniorem.

SED hæc uiderimus.] *Alias uidebimus.*

In singulis tegulis.] *Alias in singulas tegulas.*

Sed quod uideret.] *Mart. Salogæ Nonius dict. Inuoluo, Sed quid uideret. Alibi, Sed quod uiderem.*

Itaque uereor.] *Omnes fere, quos uidi, libri Nonij dict.* Ferox, *sic habent. Itaque uereor ne feroci orationem faciant tutam præcla-*

ra iudicia telo. In ferociorem, probo & amplector Sigonij emendationem. Pro tutam, legerem ipse, tua tam. itaque uitium unum sustulit Sigonius, alterum conatus est Patricius. quis erit, qui tertium? quod residet in telo. Nam ferociorem telo, uix concoquet stomachus Ciceronianus. nì quis forte uelit, iudicia de eo.

Sed ita locutus.] *Hoc etiam inter incerta, et quidem inter ea quæ sunt, non ad Cæs. iuniorem, sed ad ipsum C. Cæsarem, reposuerant Sigonianæ operæ. indicat autem ipse Nonius, dict. Insulsus, ubi sit reponendum, nempe ad Cæs. iuniorem ep. II. Intelligo autem hic quoque librum, non epistolam, ut proxime ante.*

Bellum, ut mea opinio fert, & consensu.] *Lego, ex consensu: quanquam omnibus, quos uiderim, libris repugnantibus in Non. dict. Cõfectum. nisi forte imperfecta est periodus.*

Cum constet.] *De hoc fragmento uide cap. I. lib. XIIII. uar. lect. Victorij. quidam Nonij habent, Qui autem poterat.*

Adest Albæ.] *Libri, quos uidi, Nonij, dict. Deijcere, sic habent, Adest Alba nescio cuius Clodij, quam cum restitui misisset, Ancone cum eo deiectum esset ex senatusconsulto. Alicubi legitur etiam sic, Adest Alba nescio cuius Clodij, quam cum restitui iussisset, Ancone cum*

cum eo deiecta est ex senatusconsulto.

In his potius aduersum.] *Sic & quo utor Nonius dict. secundum. ego de mendo suspicor. legerem. Ni his potius, uel nisi potius, uel nimis potius. Nam immo potius, longius recedit à scripturæ uestigijs.*

In epist. ad Pansam.

De Antiocho, fecisti.] *Quidam Nonij habent, Annio. quidam, Antio. Sed præter Nonium citat etiam Prisc. lib. XV. quanquam nõ totum, hoc fragmentum. habet enim id solũ. De Antiocho fecisti humaniter. & quidem pro Annio, uel Antio, Antiocho. Videlicet ad eã lectionem scriptura illa in quibusdam Nonijs accedente, ubi legitur Antio. nam ego Prisciani lectionem magis probo.*

In epist. ad Hirtium.

Defendes meum intolerabile.] *Vidi in Nonio Andr. Prærembij plane eodem modo. Salogæ autem liber & alij habent, mecum intolerabile. Vtrobique, nisi ironia est, legendum censeo pro intolerabile, id tolerabile, præcessit enim mediocriter lapsus. Meum autem etiam, quàm mecum, lego libentius.*

Dicis

Dicis quasi istuc intereat nescio.] *Cum suprema iam manus imprimendis fragmentis Sigonianis esset imposita, incidi legens in hunc locum, quem proculdubio corruptum esse, sentiebat etiam Sigonius, qui apposuit asteriscum. De eo igitur perscripsi statim ad hominem meã coniecturam, in hæc uerba: Astericus appositus notat locum esse uitiosum. Interea uidendum esse puto, an ita legi debeat. Dicis causa istuc intererat, nescio, nisi tamen erat mihi iucundum. Sic enim penè Varr. lib.* VI. *de ling. lat. ut quidem habent libri emendati. Nihil intererat, cui imperaret, cum dicis causa quædam fiebant. Est autem dicis causa, quod alioqui Cæsar in commentarijs loquitur, per speciem, per simulationem. Quid dicam? Videbatur id quoque Sigonius non uehemẽter asper nari, sicut ipsius ad me epistola attestatur. Ego tamen ne nunc mihi quidem de coniectura satisfacio. Paulus Manutius, uir admirabili doctrina, & maiore ingenio, dum de hoc loco Patauij familiariter colloquimur, in hanc lectionem propendebat. Dicis, Quid quæso istuc intererat. Sic ille. Sed nihil opinor magnopere firmum. Equidem omnes Nonij, quos uiderim, eodem modo legunt, ut à Sigonio & nobis positum est. Res sine ope meliorum librorum expediri uix potest. Sed quoniam aliquid temporis*

ris huic quidem restituendo fragmento impertiti sumus, narrabo fere omnia, ut quodque in mentem ueniebat, si quis forte erit, qui de ijs diutius cogitare sustinuerit. Primum autem quasi certissime statuo, intereat, & non interreat, legendum esse, tum, quia infra quoque perimendi uerbo utitur, huc respiciens, Tum quia hæc à Nonio, in uerbo interfici & occidi, cum de inanimatis dicitur, referuntur, ubi illud quoque Salustij ex libro histor. secundo recitatur. Multiq. commeatus interierant insidijs latronum. et illud item Lucilij. Intereunt, labuntur, euntur omnia uersum. eaq. etiam causa &c. eaq. etiam causa est. cur istuc, & non istic (uti mihi quoque inter cætera legendum uidebatur) legendum esse putem. Tentemus iam nunc reliqua. Satin' est? Dicis. quid, si istuc intereat? nescio: nisi tamen erat mihi iucundum, sed ueritus, ne, qui cæsum perimeret, superior is. Satin est inquam? Hic mihi aliquis, tanquam Geta quispiam in comœdia, respondet. Garris. Nunc igitur contemplamini. hem satin' sic est?

Dicis, quid si istuc intereat.

Nescio. nisi tamen erit mihi uidendum, seu uerius uerendum, ne qui, & q. s. Non respondet Geta. Quid igitur si sic?

Dicis, quid, si istuc intereat,

nescio,

nescio, nisi tamen erit mihi nitendum seuerius, ne qui &c. propemodum, inquit Geta. Quid? nunquam ne ego perueniam, ut optatum illud respondeat. Sat est? Sat est, respondet Geta. Nimirum nos ab inquirendo iubet desistere, qui nihil proficimus.

Luta & limum aggerebant.] *Inueni apud Non. eundem, dictione lutum. Is epistolam ad Hirtium Ciceronis nominat, sed quoto ex libro desumpserit, non memorat.*

In epist. ad Brutum.

QVID *in ijs ad Brutum epistolis effecerit Sigonius, & quàm egregiam operam uanauerit, res ipsa indicat, cum alijs quidem collata exemplaribus. Sunt qui Ciceronis epistolas esse negent. Sed ego, cum rei ipsi pro se loquenti, tum Manutio idem quoque affirmanti, plus tribuo in hoc genere, quàm omnino cuiquã hominum, quos tamen ipsos nec multos, nec uehementer oportet esse eruditos, qui in his epistolis Ciceronem non agnoscant. Coniungantur hæ potius epistolæ cum alijs, sicuti & res ipsa requirit, & iter commonstrat Sigonius. Obseruandum autem, eum epistolarum librum, qui nunc etiam extat inter impressos ad Brutum, primum nominari à Nonio in differentia inter ama-*

amare, & diligere.

Iampridem rem recuperassemus.] *Quid? si remp. recuperassemus. Nam in fine eiusdem epistolæ, recuperandam remp. dicit.*

Meum quidem animum in aciem esse.] *Paulus Manutius in familiaribus sermonibus sæpe solet earum epistolarum maiestatem prædicare. de huius quidem locutionis genere existimabat, dictum uideri eclypticῶs, ut subaudiatur, intentum. Ego ueterem potius locutionem agnosco, qua etiam usus est in* III. *de legibus idem Cicero. Minores, inquit, magistratus periti iuris plures in prœlia sunto, pro in prœlio, in acie. Plura de hoc loquendi genere uide apud Gell. lib.* 1. *cap.* 7. *& nonnihil lib.* 17. *cap.* 2.

Altera quæ magis, quàm reliquorum.] *Lego, Altera quæ magis est necessaria, neque meo exercitui magis, quàm reliquorum. Sic enim legit meum exemplar Caroli Stephani. et tamen sic etiam quiddam est imperfectum. Subaudiendum fortassis, uix potest: si modo non est reponendum.*

Accepi Kal. Apr. Dyrrhachio datas uesperi.] *Non datas uesperi, sed accepi uesperi. idcirco subdistinxi, datas, uesperi.*

Itaque res in eum locum uenerat, ut nisi Cæs. Octauiano &c. in potestatem

p.h.

p. h. & Imp. M. aut ueniendum fuit.] *Fuerit, legit Paulus Manutius. sic in meo libro, suo chirographo adnotauit.*

Sextius causæ non defuit. Post mecum, quanto suum filium.] *Sextius causæ non defuit post me: cum, quanto suũ filium, quanto meum in periculo futurum diceret, si contra procos. arma tulissent. legit idem Paul. Manutius, & manu etiam ad hunc modum adscribit sua in libro meo. Ingeniose ut solet, nisi si cui illa locutio durior uideretur, quanto suum filiũ, & quæ sequuntur. Locus tamen emendari leuiore mutatione, melius, mea sententia, non potuit.*

Nisi utrum simus nec ne, cui parcimus, aut quid agimus.] *Lego nec ne. Cui parcimus? aut quid agimus?*

Vestigium nostrum.] *Genitiuus multitudinis ab ego.*

Sic igitur facies.] *Bis citatur à Nonio. tum in differentia inter amare & diligere plane ut hic, tum in significatione uocabuli contentus, hoc modo. Et me aut amabis, aut, quod contenti sumus, diliges.*

Nam eloquentiam.] *Haud scio an extet alibi, & quidem fortassis in oratore ad Brutum.*

Et eum amorem.] *Quint. lib. VII. cap. III. legit simpliciter, Eum amorem.*

Ego

Ego cum in gratiam.] *Quint. lib. IX. c. III.*

Sermo nullus, scilicet nisi de te.] *Quint. lib. & capite eodem. Videndum an hoc, scilicet nisi de te, expungi debeat. Est enim, ut puto Quintiliani, Synecdochen in his uerbis explicantis. Locus Quintiliani sic habet, Quæ per detractionem fiunt figuræ, breuitatis nouitatisq. maxime gratia petuntur, quarum una est ea, quam libro proximo in figuris distuli, Synecdoche, cum subtractum uerbum aliquod satis ex cæteris intelligitur, ut Cœlius in Antonium: stupere gaudio Græcus. Subauditur, cœpit. Cicero ad Brutum: Sermo nullus scilicet, nisi de te. Quid cum &c.*

Præstat enim.] *Quint. loco eodem. Videntur autem Bruti esse, non Ciceronis. nam Quintilianus aperte sic. In prosapodosi. aliquando singulis statim membris ratio subijcitur, ut apud Antonium. Sed neque &c. Aut positis duobus uel tribus, eodem ordine singulis continua redditur. quale apud Brutum de dictatura Cn. Pompeij. Præstat enim &c. Quod si hæc expungenda nõ sunt, illa profecto ad fragmentum addi debent, quæ apud Quint. sequuntur. Sine illo enim honeste uiuere licet, cum hoc uiuendi nulla conditio est. Respicit enim ad membra proposita.*

Sim ne bonus uir.] *Sumptum ex Quint. lib.* III.

III. *cap.* X. *aliquando, inquit ille, bonis suadentur parum decora, dantur parum bonis consilia, in quibus ipsorum qui consulunt spectatur utilitas. M. Cicero ita scribit ad Brutum, Sim ne bonus, &c.*

Populo imposuimus.] *Hoc ex eodem Quint. lib.* VIII. *cap.* VI. *Maxime in orando ualebit numerorum illa libertas. Cicero ad Brutum: Populo imposuimus, & oratores uisi sumus: cum de se tantum loqueretur.*

Res inuisæ.] *Ex eodem Quint. lib.* IX. *cap.* IIII. *Videndum ne syllabæ uerbi prioris ultimæ, sint primæ sequentis. id ne quis præcipi miretur, Ciceroni in epistolis excidit, Res mihi inuisæ uisæ sunt Brute. ubi cum Brutum alloquitur, satis indicat quò referri fragmentum oporteat.*

In epist. ad M. filium.

QVARE effice & elabora ut excelleas.] *Verbum excello, ut scribit Diomed. lib.* I. *duas habebat coniugationes, de tertia exempla profert ex Cicerone. nec ualde opus erat. nã nunc ita quoque utimur. De secunda illa ex Aemilio Macro, nos hoc habeamus ex Cicerone, quod citat Priscianus. Effice & elabora, ut excelleas.*

Cæteris delitus.] *Alibi est, ceris, non absurde, ut ad eas ceras respiciat, in quibus scribere solebant. Sed, ut ut est, ego, delitis quàm delitus, mallem. cæteris delitis, uel ceris delitis. Delitis autem etiam antique pro deletis, ut infra in epistola ad Caluum, et* III. *Verr. Ex qua tantum tectorium uetus delitum sit.*

Philosophiæ quidem.] *Ex Lactantio sumptum. Isid. lib.* III. *cap.* XIIII. *scribit. At quàm confessus fueris Cicero philosophiæ ueritatem, docent ad filium composita præcepta: quibus mones, philosophiæ quidem præcepta noscenda, uiuendum autem ciuiliter. Sunt igitur profecto ex epistolis ad filium. nam in officijs non reperio.*

In epist. ad Caluum.

CALVO *huic Quint. iudicium tribuit lib.* X. *cap.* II. *sub finem, & quidem tantum, ut libro deinceps* XII. *cap.* I: *scribat compositionem Ciceronis, etiam apud ipsum, eum reprehendisse. quod notat etiam Tacitus in lib. de oratoribus, & Seneca in declamationibus. Agere is cœpit causas etiam ante ætatem quæstoriam, ut scribit Quintil. lib.* XII. *cap.* VI. *Principio nobilis eius fuit actio in Vatinium,*

de qua etiam illud Catulli,

Risi nescio quem modo in corona:
Qui, cum mirifice Vatiniana
Meus crimina Caluus explicasset,
Admirans ait hæc, manusq. tollens,
Dij magni salicippium disertum.

uide Quint. lib. VI. cap. I. & IIII. lib. IX. cap. II. non longe initio. certe lib. XII. cap. X. sanctitatem illi idem Quintilianus tribuit.

Tuli moleste quod literæ delitæ.] *Erat, delitiæ. correctum est in erratis operarum Sigonianarum, delitæ. Bene, pro deletæ. antique, ut supra dixi.*

In epist. ad Catonem.

SEQVENTES *inscriptiones fuerunt omissæ in fragmentis Sigonij. De hac inscriptione ad Catonem, mentionem fieri uideo apud Nonium, in differentia inter plus ad nullum. Liber ne autem fuerit epistolarum ad Catonem, an uero epistolæ aliquot, inter alias, hoc tempore non moror. Certe fragmentum hoc in ijs tribus epistolis, quæ lib. XV. epistolarum ad fam. scriptarum extant ad Catonem scriptæ, non reperitur, præterea autem nullam ad Catonem epistolam inuenio.*

Quòd plus desiderarint.] *Inuenitur apud No-*

Nonium. quidam locum corrigunt, & pro plus, plures legunt. Ego, dum sententiam Nonij intueor, mallem pro multi, multum, legere, quàm pro plus, plures. sic enim Nonius. plus à multo M. Tullius discreuit epistola ad Catonem. Nec iccirco, &c.

In epist. ad Cereliam.

HANC *fuisse nimis familiarem Ciceroni, obijcit Calenus apud Dionem, lib. ut puto, 46. Meminit de hac ad Att. lib. XIII. & XIIII: hanc commendat Seruilio Achaiæ procos. lib. XIII. epistolarum ad fam.*

Hoc aut animo.] *Sumptum ex Quint. lib. VI. cap. IIII. Etiam illud inquit, quod Cicero Cereliæ scripsit, reddens rationem, cur illa C. Cæsaris tempora tam patientur toleraret. Hæc aut animo &c. Stomachus enim inquit: habet illic aliquid ioco simile. Animo Catonis, qui se interfecit, stomacho Ciceronis, qui tempori seruiuit.*

In epist. ad L. Plancum.

NAM neque deesse.] *Relatum ex Gellio li. I. cap. XXII. Sunt autem eadem pene uerba Asinij Pollionis lib. X. fam. ad finem, sicut ci*

tat ipse quoque Gellius. Notandum autem ibidem ex Gellio, librum fuisse epistolarum ad hunc L. Plancum.

In epist. incertas Ciceronis.

DATA Lupercalibus.] *Quint. lib. IX. cap. III. de eadem illa synecdoche loquens, de qua supra, in frag. Sermo nullus. Ne ego quidem, inquit, illud aposiopesim semper uoco, in quo res quæcunque relinquitur intelligenda, ut ea quæ in epistolis Cic. Data Lupercalibus, quo die Antonius Cæsari. Nihil obticuit, inquit, lusitque, quia nihil aliud hic intelligi poterat, quàm hoc, diadema imposuit.*

Ne ulli sunt pedes.] *Etiam hoc ex Quintil. decerptum, qui lib. VI. cap. IIII. Facetum, inquit, non tantum circa ridicula opinor consistere; decoris hanc magis, & excultæ eiusdem elegantiæ appellationem puto. Ideoq. in epistolis Cicero hæc Bruti refert uerba. Ne ulli sunt pedes faceti ac delicijs ingredientes mollius. Vel, Ne ulli sint, uel delicijs ingredientes mollibus.*

ANDR. PATRICII IN TOMVM TERTIVM FRAGMENTORVM M. TVLLII CICERONIS SCHOLIA.

SICVT *in primo orationum, & secundo epistolarum tomis ostendimus omnium & orationum, & epistolarum inscriptiones, ita in hoc quoque tertio, in quem philosophica inclusimus, faciemus: ut appareat nihil esse pene à Cicerone in philosophia scriptum; cuius ad nos, si non corpus ipsum totum, at pars saltem aliqua & membrum corporis non peruenerit. Ac quæ olim quidem edita, & per orbem typis æneis disseminata sunt, omittamus. typis enim sunt, ut aiunt, & tonsoribus cognita. alia numeremus, quæ hac nostra ætate è tenebris eruta in honorem adduxit honoratissimus uir ipse Carolus Sigonius Mutinensis. ea sunt.*

Oeconomicus è Xenophonte.
Protagoras, ex Platone conuersus.
De republica — *lib. VI.*
De iure ciuili — *lib.*
De augurijs — *lib.*

Hortensius, uel de philosophia.
Cato.
De gloria *libri* II.
De Consolatione.
De suis consilijs.
De uirtutibus *lib.*

De quibus omnibus, quod erit à Sigonio prætermissum, hoc nos maxime ex ordine agemus. nisi quòd de libro postremum nominato, de uirtutibus, quia non breuiter expediri potest, nec rationem habet, cur in alium locum differatur, hic, si quid est quod dici possit, dicendũ est. Eius libri fragmentum, quod sciam, extat nullum. mentio tantum libri est apud Carisium, in quo lib. mea quidem sententia, M. Cicero, quæ copiose in libro de Officijs ad filium tradiderat, breuiter comprehensa litteris consignauit, plane ad Aristotelis imitationem, qui post libros τῶν ἠθικῶν *ad Niomachum, etiam* περὶ ἀρετῶν *opusculum scripsisse dicitur. nisi forte illud fragmentum, quod & apud August. lib.* XIIII. *de Trinit. cap.* XI. *ad hunc librum referre libeat. Prudentiæ partes sunt memoria, prouidentia, intelligentia. De quo tamen in Hortensio loquemur.*

In Oeconomicum, ex Xenophonte.

DE *hac libri huius conuersione, ita Quint. lib.* X. *cap.* V. *Vertere Græca in Latinum ueteres nostri oratores optimum iudicabant. id se L. Crassus in illis Cicer. de orat. libris, dicit factitasse. id Cicero sua ipse persona frequentissime præcipit. quin etiam libros Platonis atque Xenophontis edidit hoc genere translatos. Sic Quint. Hieronymus autem in epistola ad Pammansium de optimo genere interpretandi. Ego non solum fateor, sed libera uoce profiteor me in interpretatione Græcorũ scripturis sanctis, ubi & uerborum ordo, & mysterium est, non uerbũ è uerbo, sed sensum exprimere de sensu. Habetque huius rei argumentum Tullius, qui Protagoram Platonis, & Oeconomicum Xenophontis, & Aeschinis ac Demosthenis duas contra se orationes pulcherrimas transtulit. Quanta in illis prætermiserit, quanta addiderit, quanta mutauerit, ut proprietates alterius linguæ suis proprietatibus explicaret, non est huius temporis dicere. ad hunc sane librum pertinere existimo, quod ita scribit Plinius lib.* XVIII. *cap.* XXV. *Sementibus tempora plerique præsumunt, & ab* XI. *die autumnalis*

æquinoctij fruges ferunt, adueniente coronæ exortu, continuis diebus certo prope imbrium promisso. Xenophon non ante quàm Deus signum dederit. Hoc Cicero Nouembris imbre fieri interpretatus est, cum sit uera ratio non prius serendi, quàm folia ceperint decidere. Hoc ipso Vergiliarum occasu fieri putant. Aliqui ad III. idus Nouembris, ut diximus, seruant, quoniam &c. Verba Xenophontis Oeconomico hæc sunt. περί γε μέν τοι τοῦ σπόρου ὥρας. ἄλλο τι ἔφη ὦ Σώκρατες γινώσκεις, ἢ τὴν ὥραν σπείρειν, ἧς πάντες μὲν οἱ πρόσθεν ἄνθρωποι πεῖραν λαβόντες, πάντες δὲ οἱ νῦν λαμβάνοντες ἐγνώκασι κρατίστην εἶναι, ἐπειδὰν γὰρ ὁ μετωπωρινὸς χρόνος ἔλθῃ, πάντες που οἱ ἄνθρωποι πρὸς τὸν θεὸν ἀποβλέπουσιν, ὁπότε βρέξας τὴν γῆν, ἀφήσει αὐτοὺς σπείρειν. ἐγνώκασι δέ γ' ἔφην ἐγὼ ὦ Ἰσχόμαχε, καὶ τὸ μὴ ἐν ξηρᾷ σπείρειν ἑκόντες εἶναι πάντες ἄνθρωποι, δῆλον ὅτι πολλαῖς ζημίαις παλαίσαντες, οἱ πρὶν κελευσθῆναι ὑπὸ τοῦ θεοῦ, σπείροντες.

Laudauisse autem in hoc libro Ciceronem prædia latifundia, scribit Seruius in II. Geor. causamq. addit, ut possent cessare nouales. Non dubitaui autem, Seruium secutus & Macrobium, in tres libros totum opus partiri, singulisq. libris suos quasi terminos assignare, quod antea omissum fuit. Sane uidetur is liber Latino nomine de dispensatione uniuersæ domus inscriptus

scriptus à Cicerone fuisse. Sic enim scribit Hieron. in epistola ad Algusiam quæstione VI. Οἰκονομικὰ Xenophontis pulcherrimus liber est, qui non gubernationem uillæ, sed dispensationem uniuersæ domus, Tullio interpretante, significat.

Maritale coniugium.] Hæc uidentur esse initio libro I. ex quibus deinde profecta esse uidetur totius corporis in libros diuisio, ac distributio.

Nam uetus.] Ex Columella sumpsi cap. II. hicque reposui. Etsi enim eo loco Ciceronem auctorem non citet, id quod facit etiam alibi, tamen cum Græcis Xenophontis respondeat, non est de Cicerone dubitandum. Pertinere autem existimaui ad lib. I. cum laudetur uerbis disertis ordo in re familiari. Omnia respondent illis Xenophontis Græcis.

Ἐστὶ μὲν γὰρ πενία αὕτη σαφὴς τὸ δεόμενόν τινος μὴ ἔχειν χρῆσθαι: ἀλυποτέρα δὲ αὕτη ἡ ἔνδεια, τὸ δύνασθαι ζητοῦντά τι λαβεῖν, ἢ τὴν ἀρχὴν μὴ δὲ ζητεῖν, εἰδότα ὅτι οὐκ ἔστιν. ἀλλὰ γὰρ ἔφην ἐγὼ, τούτων οὐ σὺ αἰτία, ἀλλ' ἐγὼ οὐ τάξας σοι παρέδωκα, ὅπου χρὴ ἕκαστα κεῖσθαι ὅπως εἰδῇς, ὅπου γε δεῖ τιθέναι, καὶ ὅποι λάμβανειν. Ἐστὶ δ' οὐδὲν οὕτως ὦ γύναι οὔτ' εὔχρηστον, οὔτε καλὸν ἀνθρώποις, ὡς ἡ τάξις. καὶ γὰρ χορὸς ἐξ ἀνθρώπων συγκείμενος ἐστιν. ἀλλ' ὅταν μὲν ποιῶσιν ὅ, τι ἂν τύχῃ, ἕκαστος,

ταρα-

ταραχὴ τοῖς φαίνεται, καὶ θεᾶσθαι ἀτερπές. ὅταν δὲ τεταγμένως ποιῶσι, καὶ φθέγγωνται, ἅμα οἱ αὐτοὶ οὗτοι καὶ ἀξιοθέατοι δοκοῦσιν εἶναι καὶ ἀξιάκουστοι. *Existimo autem huc respexisse Seruium, qui in illud 1. Aen. Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo, citat Cicer. in Oecon. docentem quid ubi ponendum sit, Nec enim, inquit, debent uniuersa confundi.*

Quid igitur proh deum.] *Videtur huc pertinere, quanquam apud Xenophontem uideo ante aliquanto præcessisse.*

Præparatis.] *Descripsi ex Columella cap. III. uidelicet ordinis ui & potestate, atque adeo excellentia ipsius demonstrata, incipit tradere & perscribere, qui ordo in re familiari, domi præsertim, teneri debeat. Quamobrem in librum etiam primum conieci, quo hæc eiusmodi continebantur, teste Seruio. Græca Xenophontis sic habent.* Επεὶ δὲ ταῦτα διήλθομεν ἔφη, οὕτω δὴ ἤδη κατὰ φύλας διεκρίνομεν τὰ ἔπιπλα. ἠρχόμεθα δὲ πρῶτον ἔφη ἀθροίζοντες, οἷς ἀμφὶ θυσίας χρώμεθα. μετὰ ταῦτα κόσμον γυναικὸς τὸν εἰς ἑορτὰς διῃροῦμεν. ἔσθῆτα ἀνδρὸς τὴν εἰς ἑορτὰς καὶ πόλεμον, καὶ στρώματα ἐν γυναικονίτιδι, στρώματα ἐν ἀνδρωνίτιδι, ὑποδείματα γυναικεῖα, ὑποδείματα ἀνδρῷα. ὅπλων ἄλλη φυλὴ, ἄλλη ταλασιουργικῶν ὀργάνων, ἄλλη σιτοποιικῶν, ἄλλη ὀψοποιικῶν, ἄλλη τῶν ἀμφὶ λουτρὸν, ἄλλη ἀμφὶ μάκτρας, ἄλλη ἀμφὶ τραπέζας, καὶ ταῦτα πάντα διεχωρίσαμεν, οἷστε ἀεὶ δεῖ χρῆσθαι, καὶ τὰ θοινιτικά: χωρὶς δὲ καὶ τὰ κατὰ μῆνα δαπανόμενα ἀφείλομεν. δίχα δὲ καὶ τὰ εἰς ἐνιαυτὸν ἀπολελογισμένα κατέθεμεν. οὕτω γὰρ ἧττον λανθάνει, ὅπως πρὸς τὸ τέλος ἐκβήσεται. ἐπεὶ δὲ ἐχωρίσαμεν πάντα κατὰ φυλὰς τὰ ἔπιπλα, εἰς τὰς χώρας τὰς προσηκούσας ἕκαστα διηνέγκαμεν. μετὰ δὲ τοῦτο, ὅσοις μὲν τῶν σκευῶν καθημέραν χρῶνται οἱ οἰκέται, οἷον σιτοποιικοῖς, ὀψοποιικοῖς, ταλασιουργικοῖς, καὶ ἔτι ἄλλο τοιοῦτο, ταῦτα μὲν αὐτοῖς τοῖς χρωμένοις δείξαντες ὅπου δεῖ τιθέναι, παρεδώκαμεν, καὶ ἐπετάξαμεν σῶα παρέχειν. ὅσοις δ' εἰς ἑορτὰς ἢ ξενοδοχίας χρώμεθα, ἢ εἰς τὰς διὰ χρόνου πράξεις, ταῦτα δὲ τῷ ταμίᾳ παρεδώκαμεν, καὶ δείξαντες τὰς χώρας αὐτῶν, καὶ ἀπαριθμήσαντες, καὶ γραψάμενοι ἕκαστα, εἴπομεν αὐτῇ διδόναι τούτων ὅτῳ δέοι ἕκαστον, καὶ μεμνῆσθαι ὅ,τι ἄν τῳ διδῷ, καὶ ἀπολαμβάνουσαν κατατιθέναι πάλιν ὅθενπερ ἂν ἕκαστα λαμβάνῃ.

Vtrum ne Ischomache, inquam, si res.] *Sigonius fragmentum ab eo loco conformare incipit, Ego uero ipse. Equidem etiam Columellam legens, omnia ad Ciceronem indicaui pertinere. cum Xenophonte autem comparans, facile iudicium meum confirmaui. sic enim Xenophon.* πότερα δ' ἐγὼ ἔφην ὦ Ἰσχόμαχε ὅταν

ὅταν δ᾽ ἐνδεὴς ἐπιτρόπον καταμαθεῖν ἤν που ἢ ἐπιτροπευτικὸς ἀνὴρ, τοῦτον πειρᾷ ὠνεῖσθαι ὥσπερ ὅταν τέκτονος δ᾽ ἐνδεὴς καταμαθὼν; ἀλλ᾽ οἶδ᾽ ὅτι ἤν που ἴδῃς κεκλονικὸν, τοῦτον πειρᾷ κτᾶσθαι, ἢ αὐτὸς παιδεύεις τοὺς ἐπιτρόπους. καὶ γὰρ ὅστις μέλλει ἀρκέσειν, ὅταν ἐγὼ ἀπὸ αὐτ᾽ ἐμοῦ ἐπιμελόμενος, τί αὐτὸν καὶ δεῖ ἄλλο ἐπίσταθαι, ἢ ἅπερ ἐγώ. *Sicut igitur totum hoc Xenophontis, ita totum est Ciceronis. Columella quidem sic. Vtrum ne, si res familiaris desiderasset, mercari uillicum tanquam fabrum, an à se instituere consueuerit. Ego uero & q. s. Pro, à se autem legendum uidetur, ipse. nam in Græco est* αὐτὸς παιδεύεις. *Ex libro autem secundo hæc excidisse credidi, quòd uideretur ad patrem familias pertinere, & ad ea quæ foris fiunt.*

Cum uero affecta iam prope ætate.] *Meũ exemplar Gellianum legit, æstate, commodiore, ut puto, & certe de Græco expressa sententia. quid sit autem affecta æstas, & affectus annus, uide Gell. lib.* III. *cap.* XVI. *Citat fragmentum & Nonius dictione profligatum. uide locum.*

Apes in aluearium.] *Hæc quibus Græcis Xenophontis respondeant, uide Victorium lib.* XXIII. *cap.* III. *uar. lect.*

Cum ad Cyrum.] *Descripsi ex Ciceronis Senect. hicq. immiscui. Etsi enim facile affirmare*

re non possim, ex illa ueteri translatione desumpta hæc esse, præsertim Cicerone ipso nihil affirmante, tamen cum non nullos hic quoque scabros atque turbulentos illos obices, quibus ueterem translationem non caruisse scribit Hieronymus, reperiam, ne magnopere quidem pernegarem, ad ueterem conuersionem pertinere. Legatur totum fragmentum, & quidem non ut à me conformatum, sed ut à Cicerone ipso positum est in libro de Senectute, non uereor, ne nullus sit, qui cum in totius narrationis eius cursu aliquid desideret, tum præcipue illo in loco, Cum autem admiraretur Lysander etc. tum eũ dixisse, mirari se.

Scrobes.] *Ex Seruio reposui. is. in* II. *Geor. scribit hoc uerbo Ciceronem fuisse usum masculino genere, in Oeconomicis.*

In Protagoram ex Platone.

Controversimini, non cõcertetis.] *Ad eundem prope modum infra de repub. lib.* IIII. *Iurgare lex putat inter se uicinos, non litigare. Sed ibi concertationem beneuolis tribuit, quam hic ab iisdem auferre uidetur.*

Quæ igitur potest.] *Vide quæ de hoc loco adnotauit P. Victorius lib.* XIX. *cap.* IX. *uariarum lectionum.*

In

In libros de republica.

De ijs libris sic scribere ipse uidetur lib. IIII. ad Att. *Velim domum, inquit, ad tuos scribas, ut mihi libri tui pateant, non secus ac si ipse adesses, cum cæteri, tum Varronis. Est enim mihi utēdum quibusdam rebus ex ijs libris ad eos, quos in manibus habeo; quos ut spero tibi ualde probabo.* Et item lib. II. epistolarū ad Q. fratrem lib. II. *Scribebam illa quæ dixeram* πολιτικά, *spissum sane opus & operosum, sed si ex sententia successerit, bene erit opera posita: sin minus, in illud ipsum mare deijciemus, quod scribentes spectabamus: aggrediemur alia, quoniam quiescere non possumus.* Sed non est profecto cur eum unquam potuerit eorum pœnitere. Nam ut omittam cætera, Alexandrum sane Seuerum Imp. ita ijs libris ferunt fuisse delectatum, ut cum à Græcis disce deret, Latinisq. uacaret, hos potissimum, & de officijs libros euolueret; ex quorum lectione tantam de auctore quoque ipso, & tam præclaram concepit opinionem, ut imaginem ipsius inter diuorum statuas collocaret. In eis autem libris Platonis se comitem profiteri Ciceronem ipsum, scribit in præfatione naturalis historiæ Plinius. et nos hoc fragmentum in incertis

tis referemus, tomo quarto. Quod ego dictum non de rebus tantum ipsis accipio, sed etiam, idq. multo magis, de tractatione ipsa. Nam et inscriptione eadem utitur, & locos plerosque ex eo transfert, & dialogis rem conficit, & dialogorum ipsorum rationem totam ita instituit, ut facile Platonis esse æmulus atque imitator appareat. Principio in nouem & dies & libros res fuit distributa, deinde, ut aperte constat ex dialogo de amicitia, ad triduum reuocata. et ut pulchre Sigonius colligit, in sex libros collecta tota, ita, mea quidem sententia, ut singulis diebus duo libri responderent. id ita esse, & credibile est ipsum per se, & Augustinus de ciu. Dei lib. II. cap. XXI. testatur, qui quæstionem de iustitia, primo ipso die habitam, dilatam esse scribit in diem sequentem, tumq. in tertio libro magna conflictione rem actam esse. Ergo ut primus & secundus liber primi ipsius diei, sic liber tertius sequentis demum acta continebat, itemq. fortassis liber quartus: quintus autem & sextus extremi. Sed hoc parum ad huc fortassis firmum uideri poterat, nisi ad locum quendam Gellij responderemus. Is ita scribit lib. I. cap. XXII. explicans rationem uerbi superesse. *In lib. quoque, inquit, de rep. secundo, ad ipsum uerbum Ciceronis non temere transeundum. uerba ex eo lib. hæc sunt.*

Non

Non grauarer Læli, nisi & hos uelle putarem, & ipse cuperem te quoque aliquam partem huius nostri sermonis attingere: præsertim cum heri dixeris te nobis etiam superfuturum. & q. s. Hic igitur, si Gellij liber bene habet, hæc uerba postero die habita esse, & in libro secundo perscripta, apparet; ut plane confici uideatur, sequentis diei acta libro secundo contineri. Atqui Augustinus eodem loco scribit, in tertio demum libro, & cum in diem sequentem dilata esset disputatio, Lælium rogantibus omnibus iustitiam defendere aggressum: in secundo autem libro alia acta dictaq. fuisse. Dicendum igitur, in Gellio locum emendandum esse, et pro libro secundo, tertium esse reponendum: etsi enim in meo Gellio libri numerus expressis literis notatus est, tamen uitium deriuare potuit ex notis aliorum librariorum, qui cum III. scripturi erant, II. scripserunt. de quo etiam infra dicemus, in fragmento ipso explicando. singulis libris singula erunt præfixa procemia. id ita esse testatur ipse scribens ad Atticum li. IIII. Itaque cogitabam inquit, quoniam in singulis libris (loquitur autem de libris de rep.) utor procemijs, ut Arist. in his quos ἐξωτερικοὺς uocat, aliquid efficere, ut non sine caussa Varronem appellarem. Ex ijs procemijs illud esse existimo, quod est initio fragmentorum, lib. III.

III. Homo non ut à matre &c. Sicut Sigonius etiam adnotauit. et quod lib. VI. Alendus hic, inquit, est gloria. Addam ad extremum, quod Diomedes nobilis grammaticus lib. I. adnotauit, Tullium in his de repub. dialogis actiuo more tempus futurum imperatiuo modo ex uerbis quoque passiuis declinantem usurpauisse. Addam & quod Rufinius in libro de metris comicis: Ciceronem in dialogis de rep. multa dixisse referentem, Asiaticos oratores ditrocheo clausulas terminare. Scripsisse uidetur in hos libros Victorinus quidã, id quod testari uidetur Hier. Apol. I. aduersus Rufinum. Puto quòd puer inquit legeris Appiani in Vergilium, & Sallustium commentarios, Volcatij in orationes Ciceronis, Victorini in dialogos eius &c. Dialogorum enim nomine hos fere libros significat.

In librum primum de rep.

QVARE, si placet, deduc oro rationem tuam de cœlo ad hæc cituma.] Bis in Nonio citatur hic, Bis locus, semel dictione Cituma, sic, ut quidem habet Salogæ liber & alij. Quare s. p. deduc orationem tuam de eo loco ad hæc cituma. Iterum dictione deductũ, sic. quare, si placet deducere rationem tuam de cœlo ad hæc exteriora. Sigonius ut uidetur, legit

ſic. Quare ſi placet, deduc orationem tuam de cœlo ad hæc cituma. Nam illud exteriora, pro citeriora poſitum forte eſt. Quod ſi ſic, hoc quidem in loco abundaret. Vbi uerbum cituma neceſſario eſt retinendum. Quod autem Scipio, ut opinor, rogatur hic, ut rationem ſuam de cœlo deduceret, id eſt quod de Socrate in Tuſc. ſic affirmatur. Socrates, inquit, primus philoſophiam deuocauit è cœlo, & in urbibus collocauit, & in domos etiam introduxit, uidelicet in hæc cituma.

Quaſi alius aſsimulare rempub.] *Hoc ex Diomedis lib.* I. *deſcripſi, qui citat librum de rep. Putaui autem etiam ad librum proximum pertinere uerbaq́. eſſe Scipionis recuſantis prouinciam, (ut fit in omnibns paſsim Cic. diatogis) de rep. diſputandi. ut ſit ſenſus. Sic mihi hoc à uobis de rep. diſſerendi onus imponitur, quaſi alius aſſimulare remp. aut melius non poſſit, aut omnino non poſſit. Ita enim ego fragmentum & accipio, & explico. Dixit autem aſſimulare remp. ſicut Horat. in epiſtola ad Piſones, ſimulare cupreſſum, Et fortaſſe cupreſſum ſcis ſimulare, inquit.*

Expoſitamq́. ad exemplum.] *Sunt qui hũc locum ita legunt. Exponam quoque ad exemplum noſtræ reip. accommodaboq́. ad eam &c. Huc autem reſpexiſſe uidetur idem Cic.* II. *leg.*

leg. An, cenſes cum in illis de rep. libris perſuadere uideatur Africanus, omnium rerump. noſtram ueterem illam fuiſſe optimam, non neceſſe eſſe optimæ rerump. leges dare conſentaneas.

Delubris diſtinctam, ſpatiisq́. communibus.] *Sigonij liber ſpatijs communibus. Repoſui, Spatijsq́. ex Nonio Salogano: in quo ipſo abeſt etiam eius fragmenti extremum uerbum: Sunt qui illa quoque, Omnis ciuitas qua eſt conſtitutio populi, notant aſteriſco. Totum, ut puto, non temere. quanquam Sigonij lectio habet etiam ſuum ſenſum. Quid autem uocet Cicero ſpatia, ex illis locis intelligitur eiuſdem alibi. Non ex rhetorum officinis, ſed ex Academiæ ſpatijs: &, Quin igitur ad illa ſpatia noſtra ſedesq́. pergimus: &, Eodem in ſpatio conſedimus: &, Vt poſſis uidere, quemadmodum ſimus in ſpatio Q. Hortenſium ipſius ueſtigio perſecuti. Spatia enim cum omne fere loci interuallum ſignificent, tum illud præcipue, quod in circo fuit.*

Breui multitudo.] *Ex Auguſtino, Is ita ſcribit epiſtola* v. *Quid enim eſt reſpublica, niſi res populi? Res ergo communis res utique ciuitatis: quid eſt autem ciuitas, niſi multitudo hominum in quoddam uinculum redacta concordiæ? Apud eos enim ita legitur, Breui multitudo diuerſa &c. Extrema igitur, ſicut & prima,*

ma, erunt Ciceronis, & quidem ex hoc, ut puto, libro.

Cognoſcere mehercle.] *Alias legitur cognoſce. Quid? Si cognoſcite, ut ſint hæc Scipionis, ad eos, qui audiebant. quanquam ne Sigonij quidem coniectura diſplicet.*

Duos Rom. reges.] *Ex Seneca lib.* XIX. *epiſtolarum, Quum Ciceronis, inquit, librum de rep. prehendit hinc philologus aliquis, hinc grammaticus, hinc philoſophiæ deditus, alius aliò curam ſuam mittit. philoſophus admiratur contra iuſtitiam dici tam multa potuiſſe. Quum ad hanc lectionem philologus acceſſit, hoc ſubnotat duos Rom. reges eſſe & q. ſ. Dicam quod ſentio. Non exiſtimo plane uerbum de uerbo Ciceronis expreſſum, relatum eſſe. ſed tamen idem puto haud multum aberrare. Quod cum ita ſit, etſi Seneca librum nominatim non citet, tamen ego huc putaui pertinere, inde ductus, quòd* IIII. *Tuſc. in proœmio ſic ſcribit Cicerò. Nec uero hic locus eſt, ut de moribus inſtitutisq. maiorum & diſciplina, ac temperatione ciuitatis loquamur; alijs hæc locis ſatis accurate à nobis dicta ſunt, maximeq. in ijs ſex libris, quos de rep. conſcripſimus. Atqui hoc totum libro primo eſſe perſecutum apparet ex fragmento ſequenti de annuis coſs. & dimiſſis populo faſcibus, quod aperte Nonius*

nius huic libro primo fert acceptum. Conſequitur igitur etiam de cæteris eodem in libro fuiſſe pertractatum. Loquebatur igitur fortaſſis primum de legibus, mox de coſs. & deinceps de alijs in remp. introductis magiſtratibus.

Quod præſentem hunc locum de Seruij matre, & Anci patre attinet, totus elegans eſt, ex hiſtoria erutus, & annalibus. nam de Seruij quidem matre, quæ ſcribit Liuius, legi poſſunt lib. I. *de Anco autem hic quod conciſim dicitur, & aſteriſco notatum haud integrum eſſe oſtenditur, ita repleo, & reſtituo:* Anci pater etiam ignoratur, niſi quod, is rex Ancus Martius Numæ nepos dicitur. *Meam correctionem ueram eſſe oſtendo, primum ex Liuio: qui cum de creatione eius regis loquitur, ſic habet. Ancum Martium regem populus creauit, patres fuere auctores. Numæ Pompilij regis nepos, filia ortus, Ancus Martius erat. Deinde ex Plutarcho in Coriolano initio, ubi contra lectionem uulgarium exemplarium ita legendum eſſe oſtendunt Sigonius & Hotommanus.* ὧν καὶ μάρκιος ἦν ἄγκος ὁ Νοῦμα θυγατριδοῦς. *id eſt, ex qua gente fuit etiam Martius Ancus, Numæ ex filia nepos. Quidam Numæ cuiuſdam filium fuiſſe dicunt, in faſtisq. ſic reponunt, ex Tacito deſumpta coniectura. quorum cum apud me magno illorum*

 me-

merito maxima sit auctotitas, coniecturam approbabo, sed certe, ex quibus ea desumpta est, hos alios fortassis, quàm Cicero sequutus sit, auctores dicam fuisse imitatos.

Tum instituti annui consules.] *Vocem instituti, supplet Sigonius, recte, siquidem hic à grammatico integra recitatur sententia. Quid autem? si quid apud Ciceronem ad eum modum fuerit? Potestatem omnem reip. Romanæ penes populum fuisse, ostendunt tum annui coss. tum &c.*

Prouocationem ad populum.] *Ex Seneca, eodem illo lib.* XIX. *epistolarum. Ex iisdem, inquit, de repub. libris notat philologus prouocationem ad populũ etiam à regibus fuisse. Detur enim mihi interim, esse hæc ipsius uerba Cic. Vbi sunt autem, qui prouocationem à dictatore in uniuersum tollunt? cum uideant reges etiam ipsos prouocationi cessisse? sic Fabius pater pro filio magistro equirum, ad Papyrium dictatorem apud Liuium lib.* VIII. *uidero cessurus ne prouocationi sis, cui rex Rom. Tullus Hostilius cessit. Sed nos quidem hunc nodum totũ, de prouocatione à dictatore conati sumus dissoluere in nostro dictatore uberius.*

Horum enim seueritatem.] *Sigonij liber, Horum seueritatem. Salogæ, horum in seueritatem. nos reponendum existimauimus, Horum*

rum enim seueritatem. In eodem autem isto Salogæ libro, & quibusdam alijs expresse citatur lib. quartus de rep. non primus.

Quem nos dictatorem dicimus.] *Etiam hoc ex Seneca, eodem illo loco. De dictatore, et uarijs eius nominibus, plura in nostro dictatore, quem adhuc inter schedas nostras latitantem retinemus. Sed ne hoc quidem fragmentũ ualde existimo Ciceronianum esse, quod ego tamen, sicut ex Seneca cætera paulo ante recitata, antiquitatis magis, quàm elocutionis causa in contextum recipere uolui. nam hoc quoque ex libris de repub. notare ait Seneca philologum.*

Cn. Flauius fastos protulit.] *Vide Liuium lib.* IX. *in fine. Plinium lib.* XXXIII. *cap.* I. *& Gell. lib.* VI. *cap.* IX. *In loco etiam Ciceronis, quem ex epistolis ad Atticum adducit Sigonius, uidendum an pro, composuisse actiones, legendum sit potius, exposuisse, uel proposuisse. Omnino de hoc Flauio etiam ipsa antiquitas uidetur dubitasse, is ne re uera fuerit, qui fastos protulerit, an quispiam alius. id ita esse subindicat Ciceronis epistola ad Atticum. cuius uerba recitat Sigonius.*

Quomodo enim iudicatur iste optimas.] *Omnia exẽplaria, ut opinor, legunt pro, Quomodo, quam, & optimus, pro optimas, Sigonius,*

nius, optimas reposuit. Ego autem miror totum hoc fragmentum citari à Nonio ad ostendendam significationem uerbi Aemulus, cum pro eo, qui similitudinem uitæ alicuius uel instituti sequitur, accipitur. ut sane uerear, ne ita legendum sit. Qua enim, uel, quomodo enim iudicatur esse Aemulus? doctrina, artibus, studijs. Hactenusq. puto Ciceronis fragmentum esse. Quod autem sequitur, Nonij est fortassis, & pertinet ad declarationem uerbi, Audio. ut sit. Audio, quando significat, uel quando construitur &c. Esse enim lacunam in Nonio existimo.

Sed audisse.] *Ex Nonio reposui. uide in dictione contendo. Citantur præcise libri de rep. si locus fuisset seorsum ijs assignatus, quæ ex quoto libro de rep. desumpta sint, satis certum esse non potest, & hoc & non pauca alia, illo quidem in loco inter incerta retulissem. nunc coniecturis laborandum fuit, quò quicque referri oporteat. quæ coniecturæ uereor etiam, ut ubique sint satis firmæ. Hoc mehercle ad eam partem spectare credidi, quæ est de optimatis descriptione. Petrus Victorius lib.* XXI. *cap.* XVIII. *uar. lect. legit tuum uero, pro, tum uero.*

Tum uirtute.] *Hoc fragmētum uideo referri à Sigonij librario lib.* V. *Salogæ Nonius, & cæteri*

teri citant librum primum. Qui tu? inquiet aliquis. Ego uero quicquid inueni, retuli. Nam & lib. I. *fragmentum descripsi, & lib.* V. *ut erat reliqui. quorum alterum fidei fuit & diligentiæ, alterum amoris & beneuolentiæ. Quod autem, quæreret, lego, pro, quæreretur, & alia, dicam libro quinto. Inueni etiam Nonios, qui citent librum secundum. uide dictione Anima.*

Sed quoniam plurima.] *Videtur hoc fragmentum non optime habere, illo quidem in loco, Quàm si quis, ut aiunt, curauerit. Quid si sic? quàm is qui, ut aiunt, creauerit? hoc sensu? patria antiquior est parens, quàm is, qui procreauit. hac igitur de causa, & quòd plurima etiam beneficia contineat, maior illi quàm parenti debetur gratia. Equidem creandi uocabulum tribuit sæpe Cicero arti, tribuit naturæ. Creare autem liberos, legitur in epit. Liuij: 59. libris uulgatis. Quod sententiam loci attinet, eadem est cum illa, quam ita deinde expressit lib.* IX. *Pietatem cole, quæ cum sit magna in parentibus, tum in patria maxima est.*

Sed ut plurimas.] *Sic liber meus. Sigonius, sed ut primas.*

Qua carere diutius uix possunt.] *Ita in Salogæ. prius erat, non possunt.*

Quid? tu ne cum es iratus.] *Sic restitui. ex*

ex tum cum es iratus, ſicut illud quoque, Tun' pſeudomenos, pro tum pſeudomenos, de quo infra.

Ergo non probares conſilio pulſas.] *Auſus ſum pro, pulſo, pulſas ponere, cum uiderem Sigonium pro iracundiæ, ponere iracundias. quanquam id quidem coniecturam eſſe uolo. illud non item. Ego uero nihil iſto animo. Sic enim liber Saloganus, & quidam alij: cum fragmentariæ operæ particulam, uero, omiſiſſent. Senſus totius eſt. ſi quis eſt qui non probet, pulſas eſſe libidines & iracundias conſilio, næ is miſerrime eſt animatus. In nonnullis libris pro, tenerent, legitur, terrent.*

Sed ut ille, qui nauigat, cum ſubito mare cœpit horreſcere.] *Quis non dicat, ſi ſe ipſum audiat, pro, cum ſubito mare, cum ſubijt mare, legendum eſſe potius? Videtur enim horreſcendi uerbum ad animatum potius quàm ad inanimatum pertinere. Sed heu quàm lubricus eſt lapſus in hominis coniectura. Citatur ibidem dictione horrendum, à Nonio Siſenna lib. III. uel, ut habet paulo poſt dictione Cæcum, lib. IIII. is ita habet, Subito mare ſubhorreſcere, cæcosq. fluctus in ſe prouoluere leniter occipit. ad quẽ Siſennæ locum uidetur hic Cicero alludere uoluiſſe. Horridum enim Nonius accipit pro extanti & prominenti. Et certe*

te mare horreſcere, dixit non modo Cicero & Siſenna, ut uidimus, ſed etiam Accius, et Varro, ut oſtendit ibi Nonius, & Pacuuius, ut eſt 1. diuin. apud Ciceronem.

In librum ſecundum de rep.

Est igitur quiddam.] *Malo quàm, quoddam, ut erat in libro priore. Omnes enim libri, quos uidi, legunt fragmentum ad quem ſcripſi modum.*

Omnia aliter offendiſſet.] *Aliter, male & perperam. Sic illud III. fam. De tuo in me animo iniquis ſecus exiſtimandi uideris non nihil loci dediſſe. Et Sall. in Iugurt. Prius omnia pati decreuit, quàm bellum ſumere, quia tentatum antea ſecus ceſſerat. id autem eſt male. Quid ita uero? Primum, ut puto, ominis cauſa, unde illud, in alia omnia, de quo ſcribit Feſtus, dictione, qui hoc ſentitis: quem uide etiam dict. Alter. Deinde, quòd antiqui res bonas, & probatas, ac receptas, certas paſſim appellabant: Sic Cicero pro Quintio. Non ita inſtituto inquit, ut iura ſocietatis, & officia certi patris familias noſſe poſſet. & pro Sex. Roſcio, certi accuſatoris officium. et V. Verr. Non rerum certarum, ſed furtorum improbiſſimorum uocabula. Ab hoc igitur certo quod aberra-*

aberrabat, aliud erat, id est malum. Sed hæc omittamus. Vna enim mehercle Lactantij auctoritas, non id solum, sed etiam fragmenti totius sententiam aperit. is ita scribit lib. de ira Dei cap. XVIII. Laudatur Archita Tarentinus, qui cum in agro corrupta esse omnia comperisset, uitrici sui culpam redargutus, Miserum te, inquit, quẽ iam uerberibus necassem, nisi iratus essem, Quam eandem rem narrat Cicero ipse etiam extrema quarta Tusculana. Patefacta igitur ad eum modum sententia, ausus sum fragmentum ipsum ad extremum libri collocatum, hic reponere, inter cætera quæ loquuntur de animi cupiditatibus moderandis. Huc enim profecto pertinere, constabit, ex eorum locorum, quos nominaui, collatione.

Statuo esse optime.] *cum alias legeretur, statue esse optime: alias, statu esse optimo: legendum duxi, Statuo esse optime, & quæ sequuntur. Scipio enim ipse profecto constituit de forma optimæ reip. Nonius, ex quo fragmentum sumptum est, uerbo modicum, habet ad extremum, quæ nos etiam addidimus, illa:* Nec punienda, irritet animum immanem, ac ferum; *in quibus ego pro punienda, scripsi, puniendo, & præterea illud ex coniectura addidi, quod ibi minoribus characteribus sequitur.* Nec omnia prætermittendo

do licentia ciues deteriores reddat. *Hocq. nnum interea de multis, ueluti specimen proferre uolui, si quis sit, qui hæc Ciceronis cōcisa fragmenta & interrupta, supplere unquā aut contexere uoluerit. Alterum si quis requirat, uideat lib. IIII. initio. Cumq. autumno terras &c. Cætera uide sparsim.*

Vt in fidibus.] *Sic prope I. off. Vt in fidibus, aut in tibijs, quamuis paulum discrepent, tamen id à sciente animaduerti solet: sic uiuendum est in uita, ne forte quid discrepet, uel multo etiam magis, quo maior & melior actionum quàm sonorum contentus est. Itaque, ut in fidibus, musicorum aures uel minima sentiunt: sic nos, si acres ac diligentes iudices esse uolumus, animaduersoresq. uitiorum, magna intelligemus sæpe ex paruis.*

Sic ex summis, & mediis, & infimis interiectis.] *Ita fere omnes, quos uidi. Quid autem si? ex summis, & infimis, & medijs interiectis. Animaduerti sane, non modo uerba sæpe de loco mota, sed etiam totas aliquando lineas ab oscitantibus librarijs confusas esse, atque conturbatas. Insigne eius rei exemplum est in libro Ciceronis de Senectute. Is ita passim legitur. Fabio IIII. coss. adolescentulus miles profectus sum ad Capuam, quintoq. anno post ad Tarentum quæstor*

ſtor, deinde ædilis, quadriennio poſt factus ſum prætor, quem magiſtratum geſſi coſs. Tuditano & Cethego, quum quidem ille admodum ſenex ſuaſor legis Cinciæ de donis, & muneribus fuit. Quem locum, etſi uideo nonnullos extitiſſe, qui, corruptum eſſe, fuerunt quodammodo ſuſpicati, tamen nemo, quod ſciam, reſtituit, nemo etiam iter reſtituendi commonſtrauit. membra enim orationis luxata eſſe non uiderunt, quæ ita ſunt mea ſententia corrigenda, Fabio IIII. coſ. adoleſcentulus miles profectus ſum ad Capuam, decimoq. anno poſt ad Tarentum quæſtor, quum magiſtratum geſſi coſs. Tuditano et Cethego: deinde ædilis, quadriennio poſt factus ſum prætor, cum quidem ille admodum ſenex. & quæ ſequuntur. Niſi forte ſic potius legendum eſt, Ad Capuam, quintoq. anno poſt ad Tarentum, tum quæſtor, quem magiſtratum geſſi coſs. Tuditano, et Cethego. Vel ſic: Ad Capuam, quinctoq. anno poſt ad Tarentum, quæſtor, deinde, quem magiſtratum etc. Nam quincto anno poſt inchoatam militiam, ne poſſit Cato uideri quæſturam geſſiſſe, facit Polyb. lib. VI. ubi ante magiſtratus, decem, ut minimum, requirit militaria ſtipendia. Quod autem coſs. Tuditanus & Cethegus ad quæſturam, ut ego cenſeo, non ad præturam, ut eſt in omnibus libris, pertineant Ca-

tonis, oſtendunt cum Liuius lib. XXIX. tum ipſe Cato apud Ciceronem ibidem inferius, cum loquitur de ſodalitatibus & ſacris Ideis magnæ matris, & apertiſſime Cicero in Bruto, quemadmodum copioſius oſtendemus in Miſcellaneis noſtris coniectationibus. Cum hæc ita ſcripſiſſem, Exhibuit mihi multo poſt Lucas Eoruicius meus, ex regia Viluēſis bibliotheca, omni librorum genere refertiſſima, depromptū quoddam Auguſtini uolumen de ciuitate Dei, excuſum primis adhuc fere illis temporibus, quo typi primū ænei fuerunt adinuenti, in quo locus hic ex lib. 2. de rep. ad eum modum legitur, quem ex coniectura demonſtraram: ut dubitari minime debeat de ipſius coniecturæ firmitate.

Optimum omni in rep. uinculum.] *Legendum puto, optimum omnium. plus enim olet Ciceronem.*

Proiecta tota eſt, atque eminet.] *Etſi legi poſſit, porrecta, à uerbo porrigo, cuius eſt in ſequenti fragmento mentio, tamen retineo, proiecta. ſub hoc enim uerbo uideo citari fragmentum à Nonio. Proprie autem quid ſit proiectum, exponit Labeo ad Iabolenum lib. 2. ex poſt, ut eſt in L. malum: D. uerb. & rerum ſignif. Hic metaphorice dixit de iuſtitia, ſicut etiam de audacia in ea pro Cluentio, Quorum emi-*

eminet audacia atque proiecta est.

Multaq. ditione.] *Nonius hoc testimonium, in libris quidem quos uidi, non ex secundo de rep. citat, sed ex* II. *de senect. uide librum ad filium in dict. pecuniosus. fortassis uitium erat librarij.*

In librum tertium de rep.

QVONIAM sumus.] *Descriptum ex Seneca lib.* XIX. *epistolarum. Eosdem, inquit, de rep. libros cum Grammaticus explicuit, primum &c. Deinde transit ad ea, quæ consuetudo secuta mutauit, tanquam quod ait Cicero. Quoniam sumus ab ipsa calce, eius interpellatione reuocati. Hanc, quam nunc in circo metá uocamus, calcem antiqui dicebant. Hæc Seneca. Puto uerba esse Scipionis, qui cum pridie permulta dixisset pro iustitia, ut ex Augustino colligitur, fuit interpellatione Phili prohibitus, ne posset ad extremum peruenire. Poposcit enim tunc Philus quæstionem diligentius tractari, ne iniustitia sine patrono etiam condemnari uideretur, propter illud maxime, quod uulgo iam tum ferebatur, ut scribit idem August. remp. regi sine iniuria non posse. Eam igitur ob causam res uidetur in sequentem diem dilata fuisse. Quod cum ita sit, commodi, ut opinor,*

nor, orationi suæ principium hoc Scipio dare potuit, ut diceret se Phili interpellatione ab extremo orationis pro iustitia, &, ut ipse ait, ab ipsa calce depulsum esse, & reuocatum. Calcem autem ueteres metam in circo appellasse, ex hoc loco colligi posse Seneca existimauit. sed de metis Circensibus, alius locus est dicendi.

Nullum est ius naturale.] *Hoc descriptum est ex Lactantio epit. cap.* I. *id quod quidem totum Carneadeum esse, lib.* V. *cap.* XVII. *scribit; repetitum autem esse in his libris à Furio, memorat lib.* V. *Equidem uix præ me ferre audeo, atque etiam non præ me fero quidé, totidem uerbis perscriptam fuisse eam sententiam à Cicerone, quòd uideam alijs atque alijs referri à Lactantio. sed tamen, sicut fecit Sigonius, in fragmento sequenti perscribendo, ut, quæ tam in lib. quinto, quàm in ipsa epitome apud Lactantium referuntur, ea uerbis ex epitome desumptis perscribere maluerit, idem ego mihi hoc in loco censui esse faciundum. sunt enim profecto reliquis accommodatiora. Videtur autem ijs uerbis Cicero Thrasymachum illum Platonis exprimere uoluisse, qui ius omne opinabile esse, non naturale, affirmabat, idq. esse definiebat, quod ei, qui plus potest, utile sit. de qua re dicemus etiam ad finem eius libri.*

Aut occupare, aut mori.] *Occupare, tabulam*

iam uidelicet, aut equũ quo alter iam uehatur, ui capere. Meus liber legit, occidere in actiua uidelicet significatione pro perimere. utrunque utrinque & reprehendi potest, mea quidem sententia, & defendi. In fine eius fragmenti, pro, quia nocebit, mallem clariore sententia legi, quia alij nocebit. Alioqui enim τὸ nocebit, uidebitur esse ad τὸ sibi referendum, quod res ipsa repudiat.

Contra autem, qui sit improbissimus, existimetur.] *Legendum fortassis, existimet. id cum per me ipse ita iudicarem, inueni postea ab alijs animaduersum esse. Quid uero praeterea, si sic? et contra, eum qui sit improbissimus, existimet &c. Neque enim placet, & hic & paulo post,* CONTRA AUTEM. *& librarius in* PUTET ET CONTRA, *facile,* ET, *omittere potuit. Ibiq. in fine fragmenti pro omnium aestimatione, lego ex meo Lactantio, omnium existimatione. Paulo autem post id fragmentum, induxi etiam unum obelisco, prorsusq. sustuli. Quod ita legebatur.* Etenim quaero, si quis pater familias liberis suis à seruo interfectis, uxore occisa, incensa domo, supplicium de seruo unquam acerrimum sumpserit, utrum is clemens, ac misericors, an inhumanus, & crudelissimus esse uideatur. *Extat enim ora-*

oratione IIII. in Catil. In quo tamen quòd olim etiam, pro, seruo unquam, seruo nequam, reposueram, cum praesertim alibi, nunquam, legeretur, contraria plane sententia: eam emendationem quam Sigonius etiam tum approbauit, nec sententia ipsa nunc respuit, nec ego adhuc sane repudio: praesertim cum uulgatae lectioni, quae habet, de seruis quàm acerbissimũ, illud opponi posse uideatur, quòd in uocabulo, seruis, numerum non retineat, nec eum qui praecessit, nec eum qui sequitur. Supra enim legit, à seruo interfectis, et infra, dolore nocentis, utrobique uidelicet singulariter: hic autem, de seruis quàm acerbissimum, numero multitudinis. Tota periodus sic habet, ut est quidem in uulgatis libris. Etenim quaero, *Si quis pater familias, liberis suis, à seruo interfectis, uxore occisa, incensa domo, supplicium de seruis quàm acerbissimum sumpserit, utrum is clemens ac misericors, an inhumanissimus & crudelissimus esse uideatur? mihi uero importunus ac ferreus, qui non dolorem suum & cruciatum dolore nocentis & cruciatu lenierit. Quanquam ego hic quidem etiam in extremo mallem legi clarius, si non dolorem suum &c. Id confirmat adoptatio similitudinis, quae ibi statim sequitur.*

Quo scelere compulsus.] *Bis citatur à No-*

nio, legitur autē alibi compulsus, alibi impulsus.

Non grauarer Læli.] Ex Gellio descriptum lib. I. cap. XXII. noct. Atticarum. hocque illud est, quod August. ita scribit post expositam defensionem iniustitiæ à Philo habitam. Tum Lælius, inquit, rogantibus omnibus iustitiam defendere aggressus &c. Sunt autem, ut puto, uerba Scipionis, cui fortassis Lælius pro iustitia disserendi prouinciam imponere, à seq. amouere uolebat. Ostendi autem supra, locum esse non ex secundo, ut Gelliani codices per mendum habent, sed ex tertio libro de rep. Mire enim quadrat & rei ipsi, & Augustini testimonio, quod proxime recitauimus.

Huic legi nec obrogari.] Legebatur propagari. sed nostram profecto emendationem sic approbauit Sigonius. Huic legi nec propagari fas est. Patricius corrigit, obrogari, recte. sequitur enim derogari, & abrogari. quibus uerbis tria genera labefactādæ legis expressa sunt. Sic Sigonius. Ego autem præterea facile in eadem correctione confirmor, aliorum quorundam in hoc loco lectionem intuens: habent enim, Huic legi nec prorogari. Vtrum autem sit rectius, non est, ut puto, difficile diuinare. In eodem fragmento, pro & sempiterna, & immortalis, legerem, ex meo Lactantio, & sempiterna, & immutabilis.

Ipse se fugiet.] Aut hic legendum, quique se fugiet, quanquam Sigonio non satis placeat, aut statim post, pro, hoc ipso luet, recte à nobis repositum est, hocq. ipso luet. Cum hæc ita scripsissem, uidi in illo Balduini commentario, quem in Iustiniani instituta elegantissimum confecit, legi quidem, ipse se fugiet, sed mox addi particulā, atque, sic, atque hoc ipso luet.

Huic tu uiro.] Hoc desumptum ex Lactantio lib. V. cap. XIX. Verba autem sunt Lælij, ut ibidem testatur Lactantius. Etsi autem eo loco librum non citet Ciceronis, tum cum à Lælio prolata esse dicat, ad libros de rep. putaui pertinere. Et cum hoc loco fragmentum illud Sigonij deleuerim, Iustus uero ac sapiens &c. quæ, mea quidem sententia, in uerbis Lactantij allusionem tantum habebant ad hæc uerba Ciceronis, putaui deletis illis hæc esse in eorum locū substituenda. Sigonij fragmentum, si quis id requirit, erat ex Lact. lib. V. c. 23. et habebat sic. Iustus uero ac sapiens, quia illa omnia humana sunt, sua bona diuina indicat, nec aliorum quicquam concupiscit, ne quem contra ius humanitatis lædat omnino, nec ullam potentiam, honorem ue desiderat, ne cui faciat iniuriā.

Pyrrhi ridetur.] Alias Pirrhi uidet, alias, Pirrhi uidelicet. Ego Sigonium sequor.

Cuius etiam focum.] *De hoc loco uide Vict. uar. lect. lib. x. cap. v. Praeterea autem idem ille Nonius, ex cuius hoc fragmentum libro de doctorum indagine desumptum est à Sigonio, scribit statim initio libri de uocabulis ab A litera incipientibus. Apud, inquit, significat iuxta. Sisenna hist. lib.* IIII. *Dum pristinum uinum apud ignem per sudorem corpore exhausêrunt. M. Tullius de off. Cuius focum mirari solitus Cato, apud quem ille sedens Samnitum quondam hostium, iam clientum suorum, munera repudiauerat. Qui mihi locus propter plurima uidebatur esse adnotandus. Hic enim & liber citatur de officijs, & mirari, pro uiserei, & repudiauerat, pro relegauerat.*

Nullum bellum suscipitur.] *Sumptum ex August. lib.* XXII. *ciuit. cap.* VI. *Scio inquit ille, in libro Ciceronis tertio, nisi fallor, de rep. disputari nullum bellum etc. Itaque cum hoc quidem loco duo fragmenta quasi de possessione eiecissem, putaui esse uel unum hoc saltem pro utrisque reponendum. Vnum, quod eieci, fragmentum illud erat.* Illa iniusta bella sunt, quæ sunt sine causa suscepta. nam ultra, ulciscendi, aut propulsandorum hostiũ causam bellum iustum geri nullum potest. *Quod Isidorus magis, quàm Cicero, uideatur redolere. Alterum illud* Nullum

lum bellum iustum haberi uidetur, nisi denuntiatum, nisi indictum, nisi de repetitis rebus. *quod extat manifesto in lib.* I. *off.*

Romuli autem ætatem minus.] *Erant, qui de errore suspicarentur, nec locum admodum intelligerent. nunc suspicio quidem omnis, locutionis genere, sententiæ autem obscuritas têporum ratione tollitur demonstrata. Sed primum interpungo sic. Romuli autem ætatem minus his sexcentis annis, iam inueteratis literis atque doctrinis, omniq. illo antiquo ex inculta hominum uita errore sublato, fuisse cernimus: Iam illud, minus his sexcentis annis, tantundem prope ualet, quantum, quod alias solet idem dicere, intra hos sexcentos annos. sic illud etiam accipio* XIIII. *ad Atticum. Verum ille gaudens, affirmatq. minus diebus* XX. *tumultum Gallicum. Et illud* I. *de Diuin. Remigem quendam ex quinqueremi Rhodiorum uaticinatum, madefactum iri minus* XXX *diebus Græciam sanguine. hoc est intra hos* XX *et* XXX *dies: &, ut nos loqui solemus, antequã dies* XX, *aut dies* XXX *elabantur. ut sit sensus fragmenti: Romuli ætatem uidemus extitisse intra hos sexcentos annos, inueteratis iam uidelicet literis atque doctrinis. Videamus igitur an uerum sit quod ait, ex ratione temporum. equi-*

dem disputatio hæc de rep. habita est Sempronio & Aquillio coss. ut colligitur ex lib. III. epist. ad Q. fratrem, qui fuit annus V. C. 624. ad rationem Capitolinorum fastorum. Romulus autem mortuus est anno urbis 37. Inde igitur ad tempus disputationis, sunt anni sexcenti, minus tredecim. Quod autem ætas illa fuerit iam literata & ciuilis, cum fragmentum ipsum inferius exponit, tum uide etiam Cicer. in Bruto 17. 18. 19. & 1. Tuscul. 2. & Gell. lib. XVII. cap. XXI. Hoc autem etiam referendum est non tam ad Romanos, qui tamen nondum sat exculti erant, quàm ad Græcos. Nam in lib. 1. de Diuin. Romuli auguratum pastoralem adhuc, non urbanum appellat. & ibidem supra pastoribus. illum ait præfuisse.

Hæc ætas autem iam exculta, præsertim eludens omne quod fieri nō potest respuit.] *Non prorsus mihi hoc in loco, & quidem maxime in uerbo, eludens, satisfacio. uideo apud Augustinum eundem hunc locum ad eundem modum recitari, & quidem bis recitari. uideo idem uocabulum eadem prope significatione alibi ab eodem ipso Cicerone usurpari. et tamen nescio quid desidero. locus Ciceronis extat in or. V. Verr. non longe initio. Quid? hoc cuiquam ferendum putas esse, nos ita uiuere in pecunia tenui, ut prorsus nihil acquirere*

quirere uelimus, ut dignitatem nostram populiq. R. beneficia non copijs, sed uirtute tueamur? istum, rebus omnibus undiq. ereptis, impune eludentem circumfluere atque abundare? Esto igitur, eludens, lasciuientem, ut uolunt quidam, & nimia uoluptate exultantem significet. Sed tamen sic quoque, particula præsertim, si cum uerbo, exculta, coniungatur, abundabit. quæ enim ætas alia quàm exculta? sin cum uerbo eludens, hoc quidem fere sensus ipse communis etiam eludens respuit. Erat, cum de mendo suspicarer, proque, eludens, è ludis, legerem, sed ne in hoc quidem acquiesco. Uiderint, qui adiuuari possunt librorum ope manuscriptorum.

Apud Ennium.] *Vide scholia Sigonij. Præter ea autem, quæ ipse affert, sunt uerba Senecæ lib. XIX. epistolarum. Cum grammaticus, inquit, libros de repub. Ciceronis explicuit, fœlicem se putat, quòd inuenerit, unde uisum sit Vergilio dicere.*

quem super ingens
Porta tonat cœli.

Ennium hoc ait Homero surripuisse, Ennio Vergilium, esse Ennij apud Ciceronem in his ipsis de rep. hoc epigramma.

Si fas cedēdo cœlestia scādere cuiquā est,
Mi soli cœli maxima porta patet.

Quod

Quod sane Senecæ testimonium nisi esset, haud affirmare ex Lactantio poteramus, uersus Ennij fuisse à Cicerone in his libris repetitos. Sunt autem quoque libri Senecæ, qui primum uersum sic legunt,

Si fas est plagas cœlestum ascendere cuiquam.

Hic est ille situs.] *Seneca lib. eodem XIX. epistola prima, hæc uerba habet, Ex ijsdem, inquit, de rep. libris grammaticus Ennianos uersus colligit, & in primis illos de Africano scriptos. Cui nemo ciuis &c. Ad quorum quidem caput uersuum, facile illud sum pertinere arbitratus, quod habet Cicero 2. leg. Hic est ille situs. Sic enim ibi habet. Antiquissimum genus sepulturæ fuisse, cum terræ corpus redditur, & ita locatum ac situm quasi operimento matris obducitur, declarat Ennius de Africano. Hic est ille situs &c. Etsi autem diuinare non potui ad quem locum hæc omnia proprie pertineant, tamen quia & in libris de rep. Seneca teste, fuerant, & hoc in loco uersus alij recensebantur, uisum quoque fuit, ea his adiungere. Versus sane esse Ennianos de Africano, & Cicero scribit, & Seneca.*

Subito sole obscurato nõ comparuisset.] *Seneca lib. XIX. eodem epistolarum. Quum ad hanc lectionem, (loquitur autem de libris de rep.) philologus accessit, notat Romulum perisse*

risse solis defectione. Quod cum scribit, uel huc respicit, uel ad illud lib. VI. Olim deficere sol hominibus extinguiq. uisus est, cum Romuli animus &c.

Vult plane uirtus honorem.] *Declarauimus, &, ut puto, illustrauimus hunc locum alibi, quod satis esse ad Lactantium illustrandum iudicauimus. nunc nihil addo. optime enim Sigonius. illud unum, animaduertendam esse rationem interpunctorum, quam non nihil conturbarant Sigonianæ operæ, & retinendam lectionem,* Næ illa se tamen multis, *pro nec illa se multis: quæ partim ex optimis exemplaribus desumpta, partim ex coniectura, sunt. Etsi enim τὸ tamen, absit ab Lactantij exemplaribus, tamen is eo loco manifeste τὸ, inquit, interponit, & pro τὸ tamen, substituit, sicut & in lib. de Consolatione, ubi cum Cicero scripsisset, Nihil est enim in animis mistum (quémadmodum ex prima Tusc. intelligitur) Lactantius lib. de ira Dei cap. x. sub finem legit, Nihil est, inquit, in animis mistum. uidelicet pro, enim, inquit, substituit.*

Ciuitas autem.] *Disiunctum erat à superiore: ego coniunxi, ex ipso August. ubi etiam pro ac concidat, legitur, & concidat, iucundiore sono. Ad eius autem totius loci sententiam uidetur respexisse Scipio in oratione apud Liuium lib.*

lib. XXVIII. *Ne istuc, inquit, Iupiter opt. max. fierit, urbem auspicato dijs auctoribus in æternum conditam, fragili huic & mortali corpori æqualem esse.*

Vbi uero iustitia non est.] *Extractum ex Aug. lib.* IX. *ciuit. Dei. cap.* XXI. *Videtur enim profecto esse Ciceronis, cum reprehensione ad extremum definitionis iustitiæ, allatæ à Thrasymacho apud Platonem, lib.* I. *de rep. de qua etiam superius diximus, eius libri initio.*

Quòd eam coercet.] *Legebatur, atque adeo legitur in Augustino, quo eam coercet. Putaui uel quo eam coerceat, uel quòd eam coercet, legi rectius.*

Exportauerunt in Græciam.] *Si uerum est quod dicunt grammatici, aut legendum hic est, importauerunt, aut intelligendum, exportauerunt ex Phœnicia in Græciam.*

Sed ut ipsi seu animum periclitentur.] *In Sigonio erat, sed ut ipsi nimium seu periclitentur. In Salogæ Nonio, & alibi, Sed ut ipsis seu animum periclitentur: scripsi, Sed ut ipsi seu animum periclitentur. Plaut. Amphict. periclitatus sum animum tuum.*

In librum quartum de rep.

CVMQ. autumno terras.] *Hic locus sic habebat in Sigoniano. Cumq. autumno terras ad*

concipiendas fruges patefecerit, hyeme ad concipiendas relaxarit, maturitate alia mitigauerit, alia terruerit. Saloganus Nonius & alij, dictione mitis, nihil ab hoc discrepant; nisi quòd post uerbum, relaxarit, addunt nescio quid, hoc modo, relaxarit à fistula maturitate. Sigonius in scholijs uocem concipiendas bis repetitam per mendum esse scribit. Videtur autem pro altero, concipiendas, uelle, excitandas, legere. Succurrendum est, quàm possumus, sanctissimis istis reliquijs antiquitatis. Ac cætera quidem alias, nunc totum fragmentum hoc sic lego, Cumq. autumno terras ad concipiendas fruges patefecerit, hyeme ad conficiendas compresserit, uere ad effundendas relaxarit, æstate ac maturitate alia mitigauerit, alia torruerit, uel, æstate ad maturitatem &c. Quid ita? primum, propter illud à fistula, quod est in Salogano: deinde, quia uerisimile uix uidebatur, hyemem tantum & autumnum nominari, cæteras anni partes reticeri, tum, quia relaxandi uerbum hyemi parum esse accommodatum existimabatur, quæ terram ita cohibet ac comprimit, potius quàm relaxat, ut Aprilis, qui uernus est mensis, ab ea aperienda nomen traxerit: Quin, cum canit Horat. Soluitur acris hyems grata uice ueris, significat hanc anni partem ligatam prorsus, & astrictam esse, soluiq.

po-

potius ipsam & relaxari oportere, quàm ut sol uere quid ipsa per se aut relaxare possit. Postremo autem quia, conficiendas, ad concipiendas propius accedebat, quàm excitandas. Quod autem relaxandi uerbo uerbum comprimendi opposui, feci Vergilij auctoritate adductus 1: Aen. de uentis, & eorum rege: Qui fœdere certo Et premere, & laxas sciret dare iussus habenas. Sic illud Ciceronis: Zeno cum compresserat digitos, pugnumq. fecerat, dialecticam aiebat eiusmodi esse, cum autem diduxerat, & manum dilatauerat, &c. Eandem autem fere sententiam ijs uerbis extulit idem in lib. de Senectute. Terra cum gremio mollito et subacto semē sparsum excepit, primū id occatū cohibet, deinde tepefactū uapore et complexu suo diffundit, & elicit herbescentem ex eo uiriditatem &c. Ego autem, qua ratione locum hunc emendaui, eadem ratione emendauit Perionius locum Timæo eiusdem Ciceronis. qui locus, cum ubique sic legeretur, Erant autem animantium genera quatuor, quorum unum diuinum atque cœleste, alterum pennigerum & aerium, tertium terrestre: quartum diuinæ animationis maxime speciem faciebat ex igne, ita &c. legendum ostendit. Quorum unum diuinum atque cœleste, alterum pennigerum & aerium, tertium aquatile, terrestre quartum.

tum. diuinæ animationis. et q. s. Mirum enim erat omitti aquatilia.

Eademq. obiectam uino.] *Hoc fragmentum in Sigonio ita legitur, Eademq. obiectam uino atque umbram noctemq. efficiat cum numerum dierum aptum ad laborum quietem. In ipso Nonio ad eundem propemodum, nisi quod inter, cum & numerum additur præpositio, ad, cum ad numerum dierum. Equidem sicut superius de sole, ita hoc fragmentum de terra, clarissime loquitur, sed uerbis non nihil intricatis. Quo animo igitur superiori illi mederi conati sumus, eodem hoc istud aggrediamur, si quid forte proficiamus. Lego igitur, atque umbram noctemq. efficiat, cum ad numerum dierum aptam, tum ad laborum quietem. Loquitur enim de terra, ut dixi, quæ soli obiecta atque opposita, umbram & noctem faciat, noctem inquam aptam, id est necessariam, ut exponit Nonius, cum ad numerum dierum, (nisi sol enim occideret, & terra noctem faceret, unus quidam perpetuus dies esset, numerus dierum nullus esset) tum ad quietem laborum. Librarius ex, aptam tum, fecerat, aptum. Emendationem suggessit mihi ipse pene Nonius, qui scribit sic, Aptam, necessariam significat. particula autem, cum, quæ præcesserat, requirere, tum, uidebatur. Primas tres uoces*

ces alius emendabit. Scio legi, Ea denique obiectum uino. Et, Eademq. obiectum uino. Hanc & superioris fragmenti emendationem cũ P. Porembio, homini integerrimo, et, quod ad rẽ pertinet, ingeniosissimo, forte fortuna relegissem, mirifice approbabat, meq. ut eas aliquid esse etiam ipse existimarem, plane inflammabat.

Patiamur.] *Hic in Sigonio fragmentum erat separatum. coniunxi cum superiori, ex ipso Augustino, & ratione sententiæ. Ibidem quoque restitui, iam suæ ciuitati, cum ante tantum legeretur, iam ciuitati.*

Nostræ contra XII. tab.] *Haud scio an id sit, quod Donatus in Terent. de tragœdia et comœdia significat his uerbis: Sed cum poetæ abuti licentius stylo & passim lædere ex libidine cœpissent plures bonos, ne quisquam in alterum carmen infame proponeret, lege lata, siluere. Et quod Horat. in epistola ad Augustum lib. II. epist.*

Fescenina per hunc inuẽta licentia morẽ
Versibus alternis opprobria rustica fudit:
Libertasq. recurrẽtes accepta per annos
Lusit amabiliter: donec iam sæuus apertã
In rabiẽ uerti cœpit iocus, & per honestas
Ire domos impune minax. doluere cruẽto
Dẽte lacessiti: fuit intactis quoque cura

Con-

Conditione super cõmuni, quinetiã lex,
Pœnaque lata, malo quæ nollet carmine quenquam
Describi. uertere modũ formidine fustis
Ad bene dicendũ, delectandumq. redacti.

Aeschines Atheniensis.] *Hoc de Græcorum, & maxime Atheniensium rep.*

Probris & iniuriis.] *Hoc, & sequens de Romanorum, quasi per contentionem ad Græcorum consuetudinem & leges. Quod autem ibi dicitur, Capite etiam puniri sancitum, alibi abest puniri.*

Cumq. nihil tam incorruptum.] *Translatum ex Marcellino lib. XXX. Horum obstinatione (loquitur de rabulis forensibus) libertatem temeritas, cõstantiam audacia præceps, eloquentiam inanis quædam imitatur fluentia loquendi: quarum artiũ sæuitate, ut Tullius adseuerat, nefas est religionem decipi iudicantis. ait enim. Cumq. nihil tam incorruptum &c. Videntur autem huc pertinere, & ab eodem Scipione contra oratores dici, qui superius poetas ex sua rep. exterminandos existimabat, & qui infra turpes etiam philosophos expellere de ciuitate non dubitat.*

Censoris iudicium.] *Perpurgatus hic locus erat à Victorio lib. XV. cap. XXI. uar. lect. Sed quoniam ipse etiam dubitare uidebatur, satis*

V

tis locum purgatum: per se esse, adduxit facile Sigonium, ut is quoque locum fortassis emendandum susciperet, & pro offert, affert, legeret. Me etiam profecto eadem hæc iste hominis ingenui & aperti dubitatio commouit, ut pro, itaque ut omnis, legendum existimem, itaque quòd omnis. sic enim fere illud ex VI. *lib. infra, Eaq. dissensio omnium, quòd seorsum eunt alij ad alios, seditio nominatur. Et de ijsdem censoribus illud Varronis de uita populi Romani lib.* II. *Itaque, inquit, quòd hos arbitros instituerunt populi, Censores appellarunt. idem enim ualet censere, (sic enim lego ibi,) et arbitrari. Citat Nonius dictione censeo.*

Nec uero mulieribus præfectus reponatur.] *Quid? si, præponatur.*

Magnam habet uim disciplina uerecundiæ, cauent temeto omnes mulieres.] *Vim, pro uiam uerissime legitur etiam in libris Nonij quibusdam. Ego etiam pro carent, cauent, legere non dubitaui. Hoc enim magis & disciplinæ est, & uerecundiæ, de qua est sermo. Quod autem ibidem dicitur,*

Si qua erat famosa.] *Famosam intelligo, ut exponit ibi Nonius, infamem, sed propter uinum proprie. Nam illud, quod est apud eundem Cicer. lib.* II. *de orat. Nam me ad famosas uetuit mater accedere: aliò pertinere arbitror,*

tror. Hic autem famosam, temulentam, ut appellat Terentius, intelligo. nam temetum olim, uinum appellabant, ut scribit Plinius lib. XIIII. *cap.* XIII. *De Osculo quod statim dicitur, de hoc præter Plinij locum allegatum, uide Valer. de inst. antiquis. & Festum in dict. Osculana pugna, quanquam uerbis mutilatis, et manca sententia. uide etiam Plut. in problematis, Arnobium lib.* II. *disput. contra gen. Tertull. in Apolog. Certe Athenæus scribit lib.* I. *Apud Rom. inquit,* ὔτε οἰκέτης οἶνον ἔπινεν οὔτε γυνὴ ἐλευθέρα, ὔτε τῶν ἐλευθέρων οἱ ἔφηβοι μέχρι τριάκοντα ἐτῶν. *quanquam Aelianus usque ad quinque & triginta annos extendit, uti adnotauit Sigonius.*

Admiror, nec rerum solum.] *De hoc & sequenti fragmento, sic Nonius. Iurgium & lis hanc habent distantiam. M. Tullius de rep. lib.* IIII. *Admiror nec rerum solum, sed etiam uerborum elegantiam. si iurgant, inquit, beneuolorum concertatio, non lis inimicorũ iurgium dicitur. Et in sequenti, iurgare igitur putat inter se uicinos non litigare. Primum igitur ordinem fragmentorum, quem in Nonio reperio, retineo, etiamsi in libro Sigonij, librariorum fortasis incuria, inuersus uideatur. præsertim quòd, cum ad secundum transit Nonius, aperte fatetur esse in sequenti, ut pericu-*

lum etiam ſit, ne ſit ex ſequenti libro. Deinde diſtinguo & ſcribo ſic. Admiror, nec rerum ſolum, ſed etiam uerborum elegantiam, SI IVRGANT, *inquit, Beneuolorum concertatio, non lis inimicorum iurgium dicitur. uidetur autem de* XII. *tabulis ſermo eſſe, de quibus eſt etiam illud lib. de orat.* I. *Fremant omnes licet, & quæ ſequuntur. Quaſi igitur recitata una aliqua ex iis tabulis integra lege, ſic infert, In quo earum tabularum admiror, nec rerum ſolum, ſed etiam uerborum elegantiam. Et mox repetens fortaſſis caput legis recitatæ,* SI IVRGANT, *inquit. Deinde incipit uerbum iurgandi declarare. Beneuolorum, inquit, concertatio, non lis inimicorum iurgium dicitur. Sequens autem fragmentum eſt ueluti eius diſputationis concluſio. iurgare igitur lex putat inter ſe uicinos, non litigare. Et quidem putat lego, non uetat, nam uetat aperte pugnat cum Nonij ſententia. Seruata eſt autem etiam à pleriſque aliis ſcriptoribus eorum uerborũ proprietas. unde Syrus apud Terent. in Adelphis, cum leniſſime uellet pugnam appellare, Audio te neſcio quid, inquit, concertaſſe cum hero: Et Paulus quoque iuriſconſultus in l. Quod ſi non D. iure dotium, Quod ſi non diuortium, ſed iurgium fuit, dos eiuſdem matrimonij manebit. Varro lib.* VI. *de ling. Lat. quanquam*

quam loco corrupto, tamen ſignificat profectò, ab iure dictum eſſe iurgandi uerbum. Cicero hic idem ſuperius in Protagora, concertationis uerbo etiam mollius uidetur inueniſſe. Controuerſemini, inquit, inter uos, non concertetis. Sed monet me ſane hic locus, ut perſimilem alium apud eundem Cic. II. *legibus. quantum poſſum corrigam, & explanem. Recitat enim etiam caput legis, ſed uerbis, ut ego puto, & illis, & ſequentibus labem paſſis. locus ſic legitur. A paruis enim Quinte didicimus, ſi in ius uocat, atque eat, eiuſmodi leges alias nominare. Ego autem cenſeo ſic. à paruis enim Quinte didicimus,* SI IN IVS VOCAT, *atque ea eiuſmodi, leges ſolas nominare. Sed uero etc. Hoc ſenſu. Non abs re, ò Quinte, æſtu conſuetudinis abſorberi metuis, ueritus, ne communi loquendi more deceptus, ea tantum, quæ* XII. *tabulis continentur, leges appelles, appellari ue intelligas. à teneris enim profectò didicimus,* SI IN IVS VOCAT, *id autem eſt, legem quæ ſic in* XII. *tab. incipit, atque alia eiuſmodi,* XII. *tabulis comprehenſa, ſolas leges nominare. Sed uero magnus hic eſt error, inquit, & fugiendus. intelligi enim oportet &c. Et incipit uim æternæ illius & cœleſtis legis explicare. Sed horũ quoque uberior explicatio ex Miſcellaneis noſtris peti poterit.*

Notam esse leuitatis.] *Sic reposui, cum uiderem alibi legi nimiam esse, alibi eam esse, alibi meam esse. quanquam, si quis etiam mauult, nimiam, recte fecerit, si ita distinxerit, ambitionem nimiam esse leuitatis. Ego, ut dixi, no tam reposui. Errorem autem natum fuisse ex eodem illo fonte arbitror, ex quo item in lib. epistolarum ad Brutum peccatum fuit in eadẽ dictione, notã. Locus est in epist.* XIX. *Quod ego cum dabam Bruto, inquit, notam esse in fastis gratissimæ uictoriæ sempiternam uolebã. Olim enim legebatur, sempiternam memoriã uolebam, uidelicet non satis animaduersa significatione uerbi, notam, quod pro cognitam, accipiebant quidam: sed locum restituit meus Manutius.*

Non enim facile.] *Hoc & sequens fragmentum, ex Prisciano desumpta sunt, alterum ex lib.* XV. *alterum ex lib. de carminibus. Sequentis enim fragmenti locum ita lego apud Prisc. Ab arma deriuata sunt armarium, armamentum, armamentarium, armillæ, quæ brachialia uocantur Ciceroni* IIII. *de repub. pro, Cicero in* IIII. *de rep. quæ lectio effecerat, ut quidam fragmentum conformarent ad hunc modum, armillæ quæ brachialia uocantur.*

Nec uoluntatem.] *Hoc desumptum est ex Lactantio de Opificio Dei. sermo autem est de fa-*

fabrica hominis, in qua hoc libro explicanda nullam à se diligentiæ studijq. partem esse prætermissam testatur Cicero.

In librum quintum de rep.

NOSTRA uero ætas. *Hanc partem fragmenti citat etiam Nonius dictione uanum; ubi legitur, sed iam euanescentem.*

Reapse uero iampridem amisimus.] *In Augustino, ex quo fragmentum descriptum fuit, reipsa legitur. Ego autem ex Seneca lib.* XIX. *epistolarum, reapse, reposui. Seneca sic habet. Eosdem, inquit, de rep. libros cum grammaticus explicuit, primum, uerbum reapse dici à Cicerone, id est re ipsa, in commentarium refert, nec minus sese, id est seipse, & quæ sequuntur. Putaui igitur τὸ reapse, huc pertinere: qua particula pro, reipsa, ut hic ait Seneca, etiam alibi Cicero usus est, ut in libro* de Finib. & de diuin. *& præter Ciceronem etiam Pacuuius, inquiens, si non est ingratus reapse quod feci. De sese, quod ait Seneca, nescio an legi debeat, sepse. nam sese adnotari à grammatico ex Cicerone, nimis esset putidum, cum id passim aliunde possit, si quid opus esset, adnotari. Vereor autem ne hoc sepse, uel sese, sit in somnio Scipionis, ubi de natura animi disputatur.*

Virtute honesta.] *Nihil muto, sed coniecturam expono. Quid? si uirtute onusta. nam honesta uirtute, miro quodam modo dicitur, & ei, quod superius dixit, firma, locuples, ampla, pulchrius respondet onusta, quàm honesta. Alioqui mallem etiam honestata, quàm honesta.*

Excellunt.] *Hoc ex Diomede, ubi ait de duplici terminatione uerbi excello, ut in scholijs in epistolas ad M. filium demonstrauimus. Diomedes citat librum de repub. sine numero. Ego hic reposui, ubi agitur de principe & moderatore reip.*

Tum uirtute.] *De hoc fragmento cætera dixi in scholijs libri primi. Salogæ Nonius sic habet. Tum uirtute, labore, industria quereretur summi uiri indolem, nisi nimis animose ferox natura illum nescio quo. Sigonij liber tum uirtute, lab. indust. quæreretur summi uiri indoles, nihil minus animose ferox natura illum nescio quo. Ego, unica solum dictione commutata, sequor Salogani libri lectionem. lego enim pro quæreretur, quæreret. Nam, pacto, quod uerbum adijcio ad extremum, hoc etiam in quibusdam libris inuenio.*

Effrenatam illam ferociam.] *Sic Salogæ liber & aliorum. Sigonij, effrenatam illius ferociam.*

Orbi

Orbi terrarum comprehensos.] *In Nonio non uidi, ad quem tamen uidentur respicere Sigonianæ operæ. uide in Carisio. Orbi autē pro orbe, ut est apud ipsum grammaticum. et illud, Phænomenis apud hunc nostrum:*

Quattuor hic obiens secum deducere signa
Signifero solet ex orbi.

Quod molestias &c.] *Est in aperto & mea, & Sigonij, & Nonij librorum lectio. Quisque, quam uelit, teneat & tueatur.*

Quod non modo.] *Hoc sumptum ex Nonio in uerbo contingere. is ibi citat M. Tullium lib. v. Ego huc sum pertinere arbitratus.*

In librum sextum de rep.

IN *hoc præcipue libro informauisse se uirum bonum & principē ciuitatis, ita testatur ad Att. lib. VII. Quod si ista, inquit nobis cogitatio de triumpho iniecta non esset, quam tu quoque approbas, næ tu haud multum requireres illū uirum, qui in VI. libro informatus est. quid enim tibi faciam, qui illos libros deuorasti? De hac eadem re, uidebimus etiam in fragmento, Alendus hic est gloria. Disputauisse autem in hoc libro de impari numero Scipionem, testatur Hieronymus in Apolog. pro libris aduersus Iouinianum. Quod idem in commentario in A-*

mos

mos Prophetam repetit, sed ibi diserte loquitur disputationem hanc haberi in ipso somnio Scipionis. De quo quidem cum cogito, nihil aliud reperio quàm pauxilum illud, quod est de concentibus orbium cœlestium, & hoc etiam minus, illud quod est de anfractibus solis, octies septies. Quod si aliud nihil est, miror Hieronymum in commentario in Amos his uerbis uti, cum faciat eius rei mentionem. De imparis, inquit, numeri sacramentis in Scipionis somnio plenius narrat Tullius.

Expleri atque faciari nullo modo.] *In quibusdam libris, Expleri nec satiari ullo.*

Oratio extat Lælí.] *Sic habent libri quidam, quanquam Sigonij librarius duo prima uerba omiserat. ut ut est, fragmentum tamen ipsum nondum etiam hoc pacto satis est elimatum. Pro, quòd imperia, Salogæ liber & alij libri legunt, quàm si imperia. Fortassis legendum, quàm sint imperia, ut quidam putant: quanquam etiam de uerbo, imperia, dubito. illud etiam, sine Samio, nō ualde placet. mallem enim siue Samio, uel aliquid tandem eiusmodi, quod Samium à sacrificijs non reijceret. Cætera etiam sunt imperfecta.*

Firmiter enim.] *Citat etiam præter Nonium, Priscianus lib. XV. de aduerbijs. Equidem nuptias Modestinus noster lib. I. D. ritu nuptiarum*

rum, uocat coniunctionem maris & fœminæ, consortium communis uitæ, humani diuiniq. iuris communicationem. Et Imperator Institut. nuptias uel matrimonium uiri, & uxoris coniunctionem appellat, indiuiduam uitæ consuetudinem continentem. Certe dotis causam perpetuam esse, dixit Paulus noster, & cum uoto eius, qui dat, ita contrahi, ut semper apud maritum sit, uidelicet sine ulla diuortij mentione. quod diuortium quo primum tempore ab urbe condita in ciuitate receptum sit, uide Gell. lib. IIII. cap. III. & lib. XVII. cap. ultimo. et Valer. lib. II. de institutis antiq.

Quæ ciuitatis statum peruertunt.] *Nonius legit, permouent.*

Quod quidem eò fuit maius.] *Præter Gellium, refert etiam fragmentum Non. uerbo deprecari.*

Boni plus quàm multi.] *Inde notat Nonius ueterum memorabilē scientiam paucos pro bonis posuisse, multos contra pro malis.*

Mactant honoribus.] *Imitatus est hāc lectionem Lact. lib. V. cap. IX. Si qui autem, inquit, doloris uel mortis metu, uel suapte perfidia cœleste sacramentum deseruerint, & ad funesta sacrificia consenserint, eos laudant, & honoribus mactant.*

Alendus hic est gloria.] *Repetitum ex August.*

gust. lib. v. ciuitatis Dei cap. xiii. ubi sic scribit. Etiam Tullius id dissimulare non potuit in iisdem libris, quos de rep. scripsit, ubi loquitur de instituendo principe ciuitatis, quem dicit alendum esse gloria, & consequenter commemorat maiores suos multa mira & præclara gloriæ cupiditate fecisse. Sic Augustinus. unde haud scio, an sit ex procemio. nam locus narrandi de suis maioribus in dialogo ipso esse non potuit, cum ipsius persona abfuerit à dialogo. Sed utut est, miror à Sigonianis operis esse prætermissum, cum Sigonius in scholijs, & Augustini, & Thomæ Aquinatis meminerit, quod quidem ad hoc fragmentum pertinet.

Ni his, ut meministis.] *Legebatur antea, In his, ut meministis. sed nimirum quàm sæpe hæc commutentur, norunt qui aduertunt, & qui libris conferendis student. Ego unum hoc tempore locum adferam, in quo eodem hoc isto erroris genere ab omnibus librarijs peccatum, nec ab ullo quod sciam hactenus animaduersum cum esset, multorum errorum causa extitit. Locus est in Liuio lib. ix. ubi de duobus imperijs dari cœptis per populum loquitur, Duo, inquit, imperia eo anno dari cœpta per populum, unum ut tribuni militum in quatuor legiones senideni à populo crearentur, quæ antea, perquam paucis suffragio populi relictis locis, dictatorum, & consulum ferme fuerant beneficia, Tulere eam rogationem &c. Legendum autem est, & distinguendum, unum, ut tribuni militum, in quatuor legiones seni, dein à populo crearentur; quæ antea perquam paucis, sicut nos copiose in nostris Miscell. coniectationibus, & in libro de tribunis militum ostendemus, an iam ostendimus. Nam in singulis legionibus sex tantum tribunos extitisse, si parũ est quod ex Liuio significari potest lib. vii. cũ ait. secundum in sex locis, inter tribunos militum ad legiones, tenuisse, certe aperte tradit Polyb. in libro de castrametatione. Et profecto particulæ huic, dein, ex ueritate, ut puto, & necessitate per me restitutæ, eleganter respondet particula antea, quæ ibi cõfestim sequitur, hoc sensu. Antea à dictatoribus & coss. dein autem à populo. Hoc mendum non animaduertunt quidam, σκόπον, ut leuissime dicam, rei non attingunt in explicatione rationis de tribunatu militum. Sed hæc alio loco commodius demonstrabuntur.*

Pavlo *post sequitur Scipionis somnium. in quo quæ declaratione indigebant, ea quidem post Macrobium, Sigonius noster peritissime adnotauit.*

In libros de iure ciuili.

M. CICERO, *iam tum toga pura accepta, iuri ciuili dedit operam, sub Q. Scæuola. Testatur Plutarchus, testatur ipse etiam initio lib. de amicitia, & 1. de legibus, in persona Attici. A primo tempore ætatis, inquit, iuri studere te memini, cum ipse etiam ad Scæuolam uentitarem: neque mihi unquam uisus es ita ad dicendum te dedisse, ut ius ciuile contemneres. Certe in Bruto sic scribit, Ego iuris ciuilis studio multum operæ dabam Q. Scæuolæ P. F. qui quanquam nemini se ad docendum dabat, tamen consulentibus respondendo studiosos audiendi docebat. Ibidem autem paulo superius tantum se iuris ciuilis, quantum oratori sat esset, edidicisse asseuerat. Vnde dictum illud uideri potest: Si mihi homini uehementer occupato stomachum moueritis, triduo me iurisconsultum profitebor. Quod cum ita sit, mirum uideri non debet, si lib. 1. de orat. cogitasse se scribit ius omne ciuile in genera digerere, deinde eorum generum quasi membra quædam disperti ri, tum propriam cuiusque uim definitione declarare. hoc autem est ius ciuile in artem redigere. Immo mirum uideri non debet, si id etiã, quod cogitarat, hoc libro effecerit. Gell. enim lib.*

lib. 1. cap. XXII. fragmentum ex hoc libro decerpens, Ciceronem citat in libro qui inscriptus est, ut ille ait, de iure ciuili in artem redigendo. Equidem cogitasse idem Iul. Cæsarem dictatorem scribit Suetonius, sed tam laudabile eius propositum mors intempestiua præuertit.

Aliquo excellente ac nobile uiro.] *Ante, Nobili, sed nobile legendum esse, satis indicat Sosipater, ex quo fragmentum sumptum est.*

Nec uero scientia.] *Relatum ex Gellio lib. 1. cap. XXII. ubi declarat uim uerbi superesse. M. inquit Cicero in libro, qui inscriptus est de iure ciuili in artem redigendo, uerba hæc posuit, Nec uero scientia &c. In quo loco, inquit Gellius, superfuit, significare uidetur supra fuit, & præstitit superauitque maiores suos doctrina sua superfluenti, tum & nimis abundanti.*

In librum de auguriis.

MINVTVM *est quod refertur in fragmentis eius libri. solum igitur ne silentio librum ipsum prætereamus, aliquid de Ciceronis auguratu dicamus. Cicero non nisi post exilium augur erat factus, de quo sic scribit XV. fam. in epistola ad Catonem. Si quisquam fuit unquam remotus & natura, & magis etiam ratione atque*

que doctrina ab inani laude & sermonibus uulgi, ego profecto is sum. testis est &c. Idē post iniuriam acceptam, quam tu reip. calamitatem semper appellas, meam non modo calamitatē, sed etiam gloriam, studui quàm ornatissima S. P. Q. R. de me iudicia intercedere. Itaque & augur postea fieri uolui, quod antea neglexeram, & eum honorem, qui à senatu tribui rebus bellicis solet, neglectum à me olim, nunc mihi expetendum puto &c. De quo ipso suo auguratu ita etiam VI. fam. Quare quando ut augures & astrologi solent, ego quoque augur publicus ex meis superioribus prædictis &c. & II. Philipp. Quo tempore me augurem à toto collegio expetitum, Cn. Pompeius, & Q. Hortensius nominauerunt, tu nec soluendo eras &c. et in præfatione Bruti, mortem deflens Hortensii, Qua in cogitatione, inquit, & cooptatum me ab eo in collegium recordabar, & inauguratum ab eodem. Philippica autem XIII. de Cn. Pompeij filio, in primum auguratus locum ego eum (ut, quod à patre accepi, filio reddam) mea nominatione cooptabo. eo igitur potissimum tempore scripsisse uidetur de augurijs. nam ante ne inspicere se quidem morum libros profitetur, in or. pro domo: ea se tantum nosse in iure augurum, quæ una cum populo didicit, cum sæpe responsa essent

sent in concionibus. Recte Sigonius, qui narrat commotum libris Appij Ciceronem, hoc istud de augurijs argumentum sibi tractandum desumpsisse. Eos enim profecto libros uidisse se Atticus, & dissensionem inter Appium, & Marcellum optimos augures obseruasse de arte ipsorum, testatur apud Ciceronem ipsum II. leg. qui locus magnopere huc pertinet.

In librum de philosophia, uel Hortensium.

HORTENSII uulgata est inscriptio. inscriptum autem librum quoque fuisse altero nomine, ad Platonis imitationem, significat Cic. ipse I. Finium. Philosophiæ, inquit, uituperatoribus responsum est eo libro, quo à nobis philosophia defensa, et collaudata est &c. Et aperte testatur Nonius, qui utitur inscriptione, de philosophia: uidelicet à re quæ pertractatur, ut superior illa à persona maxime insigni & præcipua: Fecimus autem libenter in hoc libro, ut cum hic Hortensium et accusasse philosophiam, & laudasse eloquentiam constet, fragmenta omnia, quæ uel philosophiæ uituperationem, uel laudes eloquentiæ redolebāt, initio proponeremus, reliqua autem ad extremum collocaremus, eo sane ordine, quem si æque facile, ut no

bis ipsis, probare omnibus potuissemus, haud grauati fuissemus omnem illius rationem exponere. Sed de ordine fragmentorum, ne Sigonius quidem ualde fuit anxius.

Præter cæteras nostra extulit ciuitas.] *Hoc de eloquentia dictum quoque existimo, quæ quanto in pretio Romæ habita fuerit, docent cum alia, tum ipse quoque lib. I. de oratore. Quanquam in quibusdam libris legatur, præter cæteros.*

Lentus, ut scitis.] *Alias, Lentius.*

Multo antequam ferant.] *Sic Salogæ Non.*

Quid enim aut Herodoto.] *Ad eloquentiæ laudem, adiunxisse etiam laudem historiæ credendus est Hortensius: ex qua parte est & hoc, & quod sequitur. De Philisto autem, quẽ hic breuem appellat, idem pronuntiauit lib. 2. epistolarum ad Q. fratrem. Siculus ille capitalis, creber, acutus, breuis, pene pusillus Thucydides.*

Nec enim imperite.] *Sic in Salogano, & certe magis antiquum obtinet, quàm, non enim imperite.*

Sed ad extremum.] *Ex Nonio dictione Comest. Videtur Hortensius his uerbis dialecticam accusare. alias non, probaturum, sed prolaturum legitur. Posset etiam, pro, sed ad extremum, legi, se ad extremum. sed tamen sic etiam*

etiam sensus erit obscurior. Omnino alicubi legitur, Sed ad extremum pollicetur prolaturum se quæ seipsa. Respondet huic fragmento illud, quod est inferius, Tu ne pseudomenos.

Id enim est sapientis.] *Fragmentum ad hunc locum pertinere, etiam Sigonius ostendit ex August. lib. III. contra Academicos. Alioqui ipsum extat apud Nonium dict. prudentiæ.*

Annum magnum.] *De hoc fragmento scribit etiam Seruius ipse in I. Aen. nõ solum in III. Sed ibi pro nongentis habet quingentos. Vtrinque autem non liquet an principium fragmenti sit uere Ciceronis. Equidem de hoc anno lege quæ scribit Cic. II. nat. Deor. Timæo, Thænomenis, Tacitus de oratoribus.*

Beati certe omnes esse uolumus.] *Tractum ex Augustino lib. XIII. de trinit. cap. IIII. Sic enim ille disputans de eo, an omnes norint & uelint beate uiuere. Ita ne falsum erit, inquit, id quod nec, ipsis Academicis cũ omnia dubia sint, Academicus ille Cicero dubitauit: qui cum uellet in Hortensio dialogo ab aliqua re certa, de qua nullus ambigeret, sumere suæ disputationis exordium, Beati certe, inquit, omnes esse uolumus. Absit ut hoc falsum esse dicamus. Puto autem cum supra reprehendisset philosophiam, quæ est de natura, nunc incipere conuellere eam etiam quæ de moribus*

ribus eſt.

Ecce autem.] *Sigonius huius fragmenti auctorem citat Auguſtinum in libro de beata uita. eſt id ita quidem, ſed tamen plenius inuenitur lib.* XIII. *de trinit. cap.* V. *Vnde nos illud addidimus. Falſum id quidem, uſque ad extremum. Vſi autem ſumus quoque utriuſque loci comparatione, ad emendandum illud, Prompti tamen ad diſputandũ omnes aiunt etc. Cum enim in libro de beata uita ad eum modũ legeretur, in libro autem de trinitate hoc pacto prompti tamen ad diſputandum homines aiunt &c. utrunque retinuimus, & ſic repoſuimus, Prompti tamen ad diſputandum homines, omnes aiunt, &c. De quo profecto etiam antequam loca contuliſſemus, per nos ipſi facile coniecturam faciebamus.*

Præcipiunt hoc iſti.] *Fragmentum, quod huic erat præpoſitum, delendum curauimus, eiuſmodi: Quotuſquiſque philoſophorum inuenitur, qui ſit ita moratus, ita animo & uita conſtitutus, ut ratio poſtulat &c. Extat enim in præfatione ſecũdæ Tuſculanæ. Cæterum ex eodem illo loco Lactantij, unde fragmentum deſumptum fuit, ex libro inquam* III. *cap.* XV. *adnotanda eſt ſententia Cornelij nepotis, quæ & deletum illum, & hunc iſtum retentum locum uehementer illuſtret, & guſtum etiam nobis*

bis præbet aliquem eius iſtius Cornelij, ad quẽ à Cicerone ſcriptarum epiſtolarum fragmenta fuerunt etiam ſuperius explicata. Sic igitur is ſcribit ad Ciceronem, Tantum abeſt, ut ego magiſtram eſſe putem uitæ philoſophiam, beatæq. uitæ perfectricem, ut nullis magis exiſtimem opus eſſe magiſtris uiuendi, quàm pleriſque, qui in ea diſputando uerſantur. uideo enim magnam partem eorum, qui in ſchola de pudore & continentia præcipiant argutiſſime, eoſdem in omnium libidinum cupiditatibus uiuere. Hæc Nepos. ad eandem ſententiam quod faciat, uide apud Senecam lib. III. *epiſtolarum initio.*

Profecto omnis iſtorum diſputatio.] *Hoc inter incerta antea fuit repoſitum. Equidem petitum eſt ex Lact. lib.* III. *cap.* XVI. *Sermonem eſſe de philoſophiæ doctoribus, ex eodem illo Lactantij loco patet. Exiſtimaui igitur eſſe Hortenſii, hoc quidem in loco, quo philoſoforum mores reprehendit. Principio autem, iſtorum, non, ut Sigonij librarius, iuſtorum, legendum eſſe, etiam Lactantij meum exemplar docet. Deinde autem, quod ad extremum perperam fuit in libro Sigonij, uereor ne tãtum uideatur attuliſſe negotijs hominum, quantum oblectationem otij, in eo quanquam uarient exemplaria: alia enim habent, negotijs hominum,*

quantum oblectationem otij, alia negotijs hominum quandam oblectationem otij. Et quanquam etiam utrunque suum habeat sensum, mihi tamen quòd posterius multo commodiorem minusq. contortam sententiam uideretur continere, idcirco id prætuli, idq. reposui.

Quæ est igitur philosophia.] *Quidam Nonij sic legunt hoc totum, non optime, ut arbitror, sed tamen sic, ut contineant uestigia uerioris lectionis. Quæ est igitur philosophia, Socrate? nec dubito, quin quæcunque sit, lautum ac uictum elegantem, &c.*

Eloquentiam tueri.] *Hactenus Hortensius de eloquentiæ laudibus, & uituperatione philosophiæ, nunc ad Hortensii orationem respondetur, primum ad laudes eloquentiæ. Sed tamen non nusquam, Eloquentia tueri, non eloquentiam, legitur.*

Quare uelim dari mihi.] *Hoc fragmentum ita descripsi ex meo Nonio dict. Sumo, cum ante legeretur, Quare uelim mihi Luculle iubeas indicem tragicorum, ut sumam qui mihi desunt. Pertinet hoc autem ad ea, quæ fortassis Lucullus dixerat pro poetarum studijs, quæ quòd eloquentiæ finitima sint, hoc loco duxi esse fragmentum reponendum.*

Facessant igitur omnes.] *Hoc contra eloquentiam dictum existimo, quæ, si absit philosophia,*

sophia, inanis est tota: nec potest aut uirtutem docere ipsa, aut sapientiam. nam de philosophis accipere non libet, quod, ut Hortensius ipse fatetur, docent quidam & præcipiunt, sed faciunt nihil.

Prudentiæ partes.] *Hinc, ut opinor, initium est sermonis pro philosophia habiti contra uituperationem Hortensii. Certe hoc fragmentum ex August. sumptum est, qui lib. XIIII. de trinitate cap. II. sic inquit. Quidam cum de uirtutibus agerent, in quibus est etiam Tullius, in tria ista prudentiam diuiserunt, memoriam, prouidentiam, intelligentiam. Etsi autem in Tullio locum non nominet, tamen res non uidetur inde abhorrere. Nam de uirtutibus hic omnibus egisse Ciceronem, ex sequenti fragmento ostendit idem Augustinus. ut hoc nostrum uel præponi certe illi fragmento, uel statim post illud poni debeat. nisi forte hoc fragmentum ad librum de uirtutibus pertineat. quo de libro initio eius tomi locuti fuimus.*

Altera est nexa.] *De philosophia dictum esse existimo, cuius de natura & de uirtutibus partes, quæ sunt, eæ inuicem sunt connexæ.*

Tu ne pseudomenos.] *Ex Nonio Marcello, dict. Increpito. nisi quòd pro tum, lego tu ne, sicut & supra, pro tum cum es iratus, Tu ne cum es iratus. Omissum erat id fragmentum*

negligentia librarij. Nam Sigonium profectò uidisse ostendunt scholia. De pseudomeno, præter locum quem adnotauit Sigonius ex Cicerone, uide etiam apud eundem Cic. 2. de diuinat.

Malo uel unum paruum.] *Restitui ex Lactantio lib. VI. cap. II. cum in fragmentis legeretur, malo uel paruum, uitio librarij.*

Itaque tibi concedo.] *De hoc loco, lege quæ scripsit Victorius lib. V. cap. XIII. uar. lect. Nescio autem cur pro, ut calculum reducas, ne calculum reducas, fecerint operæ fragmentariæ.*

Nihil tamen esse.] *Sic lego, ut in meo libro: fragmentorum priorum librarius omiserat, tamen.*

Et id quod nollem.] *Sic puto melius, sicut habet liber meus, quàm sicut librarius priorum fragmentorum, & id quidem.*

Vt ait Ennius. Refugiat.] *Hoc uersu eodem usus est lib. V. Fin. Quid est, inquit, quod magis perspicuum sit, non modo charum sibi quenque, uerum etiam uehementer charum esse? Quis est enim, aut quotusquisque, cui mors cum appropinquet, non*

Refugiat timido sanguen, atque exalbescat metu?

Fragmentum sumptum est ex Prisc. lib. VI.

Mortis denique.] *Apud me in Nonio & alibi,*

bi, dict. Contemptus, legitur mortis dolorumq. Quid? si mortis dolorisque, ut supra lib. V. de rep. Quæ uirtus fortitudo uocatur, in qua est magnitudo animi, mortis dolorisque magna contemptio.

Vt ea sibi.] *Malo, quàm ut in fragmentis prioribus, ut ea ibi, contra fidem omnium librorum, quos uidi.*

Habet enim ipsam certam definitam.] *In fragmentis prioribus legebatur, Habet enim ipsam incertam definitam uiam. alibi etiam, Ipsa incertam & indefinitam. Præremb ij & Salogæ liber in Nonio, dict. deductam, sic legunt. Habet enim ipsa incertam definitam &c. Etsi autem uideo esse qui ita studet castigare, Ipsa incertam & infinitam, tamen me quidé si quis est qui respicit, ita lego, non discedens à uestigijs Prærembiani & Salogani libri, Ipsam certam definitam: uel etiam, Ipsam certam & finitam. Deduci enim ex incerta uia, ut statim loquitur Cicero, non uideo qui sit error, aut quod uitium. igitur quod scriptum erat, Ipsa incertam, ex prima syllaba sequentis dictionis, in, facio literam extremam prioris, m. uerba sunt autem fortassis de mente & ratione, de qua superiori proximum fragmentum loquebatur, quæ, cupiditatibus & perturbationibus animi, sæpe de statu suo dimouetur.*

Sufficit

Sufficit ad gloriam.] *Ex Seruio in* IX. *Aen. qui scribit illud Vergilianum, Dij moresq. dabunt uestri. Ciceronis esse tractum de philosophia, ubi dicit sufficere ad gloriā benefacti conscientiam. Si modo non est tractum de Philippica* II. *in fine, ubi dicit, in ipsa conscientia pulcherrimi facti fructus satis esse. Quod si est, equidem Seruij librarius ex Philippica, fecit philosophia.*

Tum intelligas.] *Ex Non. dict. Redundo. Reposui autem in hunc locum, quòd sermo esse uideatur de immoderatis cupiditatibus, quæ ultra id, quod uitæ hominum necessarium est, euagantur.*

Ad iuuenilem libidinem, copia uoluptatum.] *Sic putaui ex coniectura esse distinguendum, ut libidinem sit finis unius periodi, & copia principium alterius. Locus autem à Nonio sic confuse citatur, & truncatim, uel uitio librariorum, uel quod nobis solum indicio quid, sit id, quod gliscere dicitur. Meæ lectionis sensus est. cum finisset periodum, ad iuuenilem libidinem, incipit deinde sequentem, & dicit, Illa inquit libido iuuenilis gliscit. hoc autem est crescit copia uoluptatum, ut ignis oleo. Nam igni oleo, quod est in quibusdam exemplaribus, non recipio:*

Hi nostri amici.] *De Epicureis, aut quibusuis*

uis tandem philosophis, qui non uirtutem pro dignitate æstimarent. uocat autem suos amicos, forte per ironiam, ut illud I. *Att. Ipse mihi amicus, &* II. *Att. Itaque ille noster amicus &c.*

Oratæ, homini ditissimo.] *Si lego Augustinum, eo quidem loco, ex quo se id desumpsisse demonstrat Sigonius, haud facile dixero, ad eum istum modum conformari fragmētum debuisse, sed tamen studio istius antiquitatis dedi facile, ut illud, qualecunque sit, non solum reciperem, sed etiam adaugerem, ab eo uidelicet loco, eiusq. (ut breuiter totum explicem) etc. Qua sane particula exclusa, haud uideo, quomodo cætera uel recipi, uel retineri possent. Vnum est obseruandum, quòd meum exemplar pro delicatissimo, legit, deliciosissimo.*

Inclusit pisces.] *Sic meus Nonius, non includit.*

Solertiamq. eam posset, uel in tegulis.] *Ex Nonio dictione Ostrea. Haud scio autem an sic legi debeat. Solertiamq. eam, posset ut in tegulis. uidentur de eodem Orata dici, de quo superiora. Nam & Macr. lib.* III. *de eo loquens, ostrearum etiam facit mentionem: & Varro lib.* III. *de re rustica, piscibus eum delectatum fuisse scribit.*

Attendere animo, inire rationem.] *Sic in*

in correctione exemplari, non, ut ante in fragmentis, inire ratione. Quod si est, non uereor, quin etiam, attendere animum, legi debeat. ut illud in Verrem, Aures iudex animumq. attenderet. & in Rullum, Attendite animos ad ea quæ sequuntur. & in Officijs. Si animum attenderis, turpitudinem uideas.

Tunc obsequatur.] *Ex Augustino depromptum. is enim libro contra Iulium Pelagianum* v. *cap.* v. *non obscure fert ad Hortensium pertinere.*

Et qui expectat, pendet animi.] *Sic Terentius. Clitipho cum spe pendebit animi, decipiā.*

Et cæteris quidem in rebus.] *Cum, quid melius afferrem, non haberem, priorum fragmentorum lectionem reliqui. Meus Nonius, & quidam alij pro, differunt, afferunt, legit, neque ullum, nisi post, tamen, interpunctum habet. Quid ego inania consecter? Equidem cum alibi alia, tum illo in loco, insciunt attingunt, aliquid melius desidero.*

In continentibus quidem.] *Quædam exemplaria, Ne in continentibus quidem, eodem sensu, quo illa etiam lib.* VI. *de repub. Ex his ipsis cultis, notisq. terris, num aut tuum, aut cuiusquā nostrum nomen uel Caucasum hunc, quē cernis, transcendere potuit, uel illum Gangem transnare? Quis in reliquis orientis, aut obeuntis*

tis solis ultimis, aut Aquilonis, Austri ue partibus, tuum nomen audiet? quibus amputatis, cernis profecto, quantis in angustijs uestra gloria se dilatari uelit.

Quod alterius ingenium.] *Lego, ut legendum demonstrauit Sigonius, diuino uir ingenio. De melle Hymettio, quod quidem huc uehementer pertinet, meminit Augustinus, nescio cuius, libro de uita beata, ijs uerbis. Nescio quomodo, inquit, contortum hoc & aculeatum, quod posuisti, ut ait ille de melle Hymettio, acriter dulce est, nihilq. inflat uiscera. Est autem Hymettus mons in Attica.*

Eundem enim non modo mediocri.] *Meus Nonius habet simpliciter, non mediocri. Sigonius correxit, non solum mediocri. Ego eadem prorsus sententia qua Sigonius, sed à uestigijs scripturæ recedens minus, non modo mediocri. occasionem enim erroris librario dederat, modo mediocri.*

Qui iidem nescio quid.] *Quædam exemplaria Nonij habent, Qui illum, nescio..*

Ex quibus humanæ.] *Ad hoc fragmentum respiciens etiam Seruius in* VIII. *Aene. scribit Ciceronem in Hortensio docere, Tyrrhenum cum socijs pyraticam in Tyrrhenia, quæ pars est Italiæ, exercuisse, captiuosq. nouis pœnis afflixisse, occisorum eos alligando cadaueribus.*

Quæ

Quæ nobis dies noctesque.] *Ex Augustino lib.* XIIII. *cap. ultimo de Trinit. Significat autem ibidẽ aperte Augustinus ex eo dialogo desumptũ esse. in quo cætera recte, illud, quod sentimus & sapimus, haud scio an commodius legatur, quo sentimus. alioqui in Consolatione ait, quod sentit, quod sapit.*

In Catonem.

De *Ciceronis Catonibus copiose & eleganter Sigonius, ut addere nihil opus sit. De Anticatonibus Cæsaris, ne illud quidem prætermisit. Vnum addo, duos libros institutos à Cæsare fuisse aduersus hanc istam Catonis laudationem, quam hoc libro fuerat Cicero prosequutus: duos, inquam, & prægrandes illos quidem. id significat Iuuenal. sat.* VI. *Maiorem quàm duo, inquit, Cæsaris Anticatones. De utraque re, id autem est de laudibus, & uituperatione Catonis, sic scribit T. Liuius. Huius gloriæ, inquit, nec profuit quisquam laudando, nec uituperando quisquam nocuit. eum utrunque summis præditi fecerint ingenijs. Significat autem Liuius, ut scribit Hier. in præfatione comment. in Oscam Prophetam, M. Ciceronem, & C. Cæsarem, quorum alter laudes, alter uituperationes supradicti scripsit uiri. illud itaque uereor, ne ad hanc eandem Ciceronis laudationem pertineat, quod est apud Augustinum ep.* VII. *recitatum, & à me inter incerta relatum.*

Nullum unquam uerbum, quod reuocare uellet, emisit. *De quo ibi.*

Maiora omnia re, quàm fama.] *Sic prope de Scipione Syphax apud Liuium li.* XXVIII. *Mirabiliorem eum sibi uisum coram congresso, quàm bello rebus gestis. & de eodem ac Massanisa lib. eodem. Ceperat, inquit, iam ante Numidam ex fama rerum gestarum admiratio uiri, substitueratq. animo speciem quoque corporis amplam ac magnificam: cæterum maior præsentis ueneratio cepit.*

In libros de gloria.

In *his libris dialogo rem tractatam esse, ipse etiam Cicero significat lib.* XVI. *Att. De gloria, inquit, misi tibi. Custodies igitur, ut soles: sed notentur eclogarij, quos Saluius, bonos auditores nactus, in conuiuio duntaxat legat. mihi ualde placent: mallem tibi. sed in hoc loco quoque, etsi exemplaria in omnibus ferme consentiant, uidendum tum esse puto, an ita sit distinguendum, notentur eclogarij, quos Saluius bonos, auditores nactus in conuiuio, duntaxat legat. ut uidelicet Saluium bonos tantum uelit legere*

gere eclogarios, malos relinquere. Mirum autem uideri potest, hos libros de gloria eo potissimum tempore interijsse, quo cæteri Ciceronis in lucem producti fere fuerunt, de oratore tres, Brutus, orator, epistolæ ad Atticum, circiter uidelicet annum Christi 1400.

Oppidorum appellationem.] *Descriptum ex Paulo, qui Festum Pompeium in compendium redegerat. is ita scribit lib.* XIII. *Oppidorum originem optime refert Cicero lib.* I. *de gloria, eamq. appellationem usurpatione appellatam esse existimat, quòd opem darent, adijciens, ut imitetur ineptias Stoicorum.*

Quo stante, & incolume.] *Ex Carisio. Incolume autem, non incolumi, secunda uocali, non tertia.*

In librum de Consolatione.

De *hoc libro præter eos locos, quos accuratissime annotat Sigonius, meminit praterea Cicero ipse lib.* XII. *ad Atticum, & Tertullianus. consolati autem fuerunt etiam alij ipsum Ciceronem amissa filia, Ser. Sulpicius* IIII. *fam. M. Brutus lib. epistolarum ad Brutum, Cæsar etiam ipse.*

Crantorem sequor.] *Ex Plinij præfatione hoc desumptum est, quo quidem fragmento M. Cicero*

M.Cicero

M. Cicero profiteri uidetur, se, ut in libris dè rep. Platonem, in de officijs Panætium, sic in hoc libro Crantorem imitari: sicut ibidem, ait Plinius, & admonet Sigonius ex Hieronymo in epitaphio Nepetiani. Intelligit autem fortassis Crantoris illum de luctu librum, de quo in Lucullo ita habet. Legimus omnes Crantoris, ueteris Academici, de luctu. est enim non magnus, uerum aureolus, &, ut Panætius Tuberoni præcipit, ad uerbum ediscendus libellus. Eundem librum in extremo Tusculanæ primæ, Consolationem Crantoris uocat, ex eoq. nonnulla adfert.

Iccirco nati sumus.] *Ex Lactantio lib.* III. *cap.* XVIII. *Sed cum bis illic ea sententia recitetur, priorem locum in conformando fragmento sequi maluimus. sic enim ibi Lactantius. Quæ ignorantia, inquit, effecit, ut quosdam dicere non puderet, iccirco nos esse natos, ut scelerum pœnas lueremus. Infra autem declarans ueluti quem his dictis significaret, ait. Quid Ciceroni faciemus, qui cum in principio Consolationis suæ dixisset, luendorum scelerum causa nasci homines &c.*

Quamprimum mori, & tanquam ex incendio effugere fortunæ.] *Vetusti libri Lactantij legunt, Quamprimum tanquam ex incendio effugere fortunæ. Recentiores, Quāprimum*

primum mori, tanquam ex incendio effugere uiolentiam fortunæ. Sigonius recentiorum lectionem sequi uidetur. addit solum, &, mori & tanquam &c. Ego, quamprimum mori, et tanquam ex incendio effugere fortunæ. retineo uidelicet uerbum, mori, cum particula et, ex libris posterioribus: tollo autem uerbum uiolentiæ, quod abest à uetustioribus. adducor ad omnia uerbis ipsius Lactantij, quæ ibi sequuntur, dum significat Ciceronem integram ipsam Sileni sententiam, quam ibidem refert, usurpasse, de suo autem præterea non nihil adiecisse, ut ornaret. Neque enim sine uerbo, mori, integra esset Sileni sententia, & ornatus, detracto uerbo, uiolentiæ, magis est ἐμφατικὸς minusque affectatus. Sic supra in or. in Clodium & Curionem: Quo ex iudicio, uelut ex incendio, nudus effugit.

Animorum nulla in terris.] *Totus locus desumptus ex Tusculana prima, ut indicat ipse Sigonius. Eius fragmenti etiam principium uide apud Lactantium lib. de ira Dei cap. x. Extremum lib. I. cap. v. diuinarum institutionum. Sed Cicero, & Lactantius uariant in quibusdam. nam quod apud Ciceronem est, ex terra natum, atque fictum, Lactantius legit, atque factum. Quod illic, nihil ne aut humidum quidem, aut stabile: hic, nihilq. humidum, aut stabile.*

bile. Quod illic, his enim in naturis nihil est, hic, his enim innatum nihil inest. Ibi, quod etiam plura, hic, quo & plura. ibi, nec inuenitur unquam, hic, nec enim inueniuntur unquam: ibi, omnia sentiens, & mouens, hic, omnia sentiens, & omnia mouens.

Et eorum in urbibus.] *Sic lego ex meo Lactantio. nam fragmentariæ operæ habent, in eorum urbibus. Ex eodem quoque infra pro, assentiam, lego, assentiamur, & Amphionis pro Amphitrionis.*

Eundem cursum in cœlum patere.] *Ita meus Lactantius prius erat. Inde cursum.*

Nam uitiis & sceleribus.] *Respicit huc etiã idem Lactantius lib. VII. cap. X. in fine.*

Castos autem animos.] *Sic Lactantius lib. III. cap. XIX.*

Facili lapsu.] *Sic Verg. IIII. Aen. & labere pennis. Sic ipse in Mario Præpetibus pennis lapsuq. uolantem.*

Ad naturam sui similem.) *Respicit eò idem Lactantius lib. VII. cap. VIII. in fine.*

Cede en manum tollo.] *Quid? si, & manum tollo.*

In librum de suis consiliis:

HIC *liber, etsi aliter quidam existimare uidentur, à libro de suis temporibus differebat, qui,*

ut postea uidebimus, scriptus fuit uersibus, cum expositio suorum consiliorum soluta oratione perscripta esset, ut ex fragmento ipso constat. Inscriptus autem fuit liber uel de suis consilijs, ut Boethus, uel expositio suorum consiliorum, ut Augustinus, & Asconius Pædianus memorant. Ac Boethi quidem & Augustini uerba infra referemus. Asconius autem initio statim expositionis suæ in orationem in toga candida sic habet. Aut C. Cæsaris, inquit, aut M. Crassi domum significat. etenim acerrimi ac potentissimi fuerunt Ciceronis refragatores, cum petijt Consulatum: quod eius in dies ciuilem crescere dignitatem animaduertebant. & hoc ipse, inquit, Cicero in expositione suorum consiliorum significat. Mihi autem ad eius quoque libri inscriptionem alludere uidetur Cicero ipse, cum sic loquitur I. Philip. initio. Antequam de rep. P. C. dicam ea, quæ dicenda hoc tempore arbitror, exponam uobis breuiter consilium & profectionis, & reuersionis meæ. Quæ etiam & Asconius in argumento II. Verr. uidetur respexisse.

Sed ut aliqua.] Ex Boetho & Augustino desumptum fragmentum, quorum uterque ijsdé uerbis utitur in recitando. Et Augustinus quidem sic lib. V. contra Iul. Pelag. cap. IIII. Aures quoque hominis quomodo ei (de libid. loquitur) subderes inuenisti, & erexisti eius uetustissimum quidem, sed plane gloriosissimú titulum, commemorans, quod in expositione consiliorum suorum Tullius posuit. quia cum uinolenti adolescentes &c. Boethus autem sic lib. VII. de Musica cap. I. Tanta fuit Musicæ diligentia, ut eam animos quoque obtinere arbitrarentur. uulgatum quippe est, quàm sæpe iracúdias cantilena represserit, quàm multa uel in corporum, uel in animorum affectionibus miranda perfecerit. Cui enim est illud ignotum, quod Pythagoras ebrium adolescentem Tauromini tanum, sub Phrygij modi sono incitatum, spondæo succinente reddiderit mitiorem, & sui compotem. nam cum scortum in riualis domo esset clausum, atque ille furens domum uellet amburere, cumq. Pythagoras stellarum cursus (ut ei mos nocturnus erat) inspiceret, ubi intellexit sono Phrygij modi incitatum, multis amicorum admonitionibus à facinore noluisse desistere, mutari modum præcepit. atque ita furentis animum adolescétis ad statum mentis pacatissime temperauit. Quod scilicet M. Tullius commemorat in eo libro, quem de consilijs suis composuit, aliter quidem, sed hoc modo. Sed ut aliqua similitudine &c. In extremo autem fragmento sic legunt libri Boethi, Grauitate canentis, illorum furentem petulantiam

tiam consedasse. sed ego ex Augustino repetere malui. De efficacitate sane uariorum canendi sonorum hæc ex Cic. II. legibus adferri libuit. Assentior Platoni, nihil tam facile in animos teneros atque molles influere, quàm uarios canendi sonos, quorum dici uix potest quanta sit uis in utranque partem. nanque et incitat languentes, & languefacit excitatos, & tum remittit animos, tum contrahit: ciuitatumque hoc multarum in Græcia interfuit, antiquum uocum seruare modum: quarum mores lapsi ad mollitiem pariter sunt immutati cum cantibus, aut hac dulcedine corruptelaque deprauati, ut quidam putant: aut cum seueritas eorum ob alia uitia cecidisset, tum fuit in auribus animisq. mutatis etiam huic mutationi locus. Quamobrem ille quidem sapientissimus Græciæ uir, longeq. doctissimus ualde hanc labem ueretur: negat enim mutari posse musicas leges, ne simutatione legum publicarum.

In ea, quæ ad libros Academicos pertinent.

QVAE restant ex hoc tertio tomo explicanda, breuissime expediam. sunt enim ex libris, quorum magna pars in excusis inuenitur. Fragmenta hæc, quæ ex Academicis collecta sunt, ad

ad eos libros pertinent, qui erant posterioris editionis, & quorum nunc etiam primus extat, quanquam mancus & mutilus. Nonius, dum quartum esse putat eius editionis, qui est prioris secundus, fecit, ut quarti libri fragmentum certum demonstrare nullum possimus.

Qui enim serius honores.] Vocem, serius, restitui ex meo Nonio, & alijs. in fragmentis enim prioribus aberat. Sensus autem fragmenti fortassis est, eos qui non suo anno adipiscuntur magistratus, uix unquam deinde admitti ad eosdem. non enim ualde esse commendatos ad opinionem multitudinis. unde frequens illa Ciceronis gloriatio, in recensendis gradibus honorum suo anno obtentorum.

Lunæ quæ lineamenta.] De maculis Lunæ uide Plinium lib. II. cap. IX.

Quid mare? non ne cæruleum?] Persimilis huic est locus in Lucullo, quem ego referente Sigonio non referrem, nisi me aliqua ex parte corrigere posse existimarē. is ita habet. Mare illud quidem nunc Fauonio nascente purpureum uidetur, idem huic nostro uidebitur, nec tamen assentietur, quia nobismetipsis modo cæruleum uidebatur, mane flauum. Quod sane testimonium cum ita referat Nonius, dict. Ranum, quia nobis metipsis, inquit, tum cæruleum, tum rauum uidetur, legendum existimo,

mo, pro flauum, rauum, pro mane autem, ue stigiis Nonij insistens, arbitror legendum, modo ut sit, modo cæruleum uidetur, modo rauum. rauum autem quid sit, uide Nonium & Festum.

Et quidem aqua tinctum quodãmodo.] *Non puto locum esse integrum. Meus, quo utor, Nonius, Et quidem aquæ tinctum quodammodo, & infectum. Operæ Sigonianæ, et quidem aqua tinctum quodam & infectum. Hæreo. præterea autem, quid sit quod hic dicitur, maris unda aqua tinctum, non intelligo.*

Quid tam planum uidetur.] *Descripsi ut erat in non nullo exemplari. nam Sigonianæ operæ & mutarant quiddam, & quiddam eraserant.*

Alius adultis, alius senibus, alius ægris.] *Haud ualde dubitarem affirmare legendum esse, post senibus, alius sanis, alius ægris. nam & ratio contrariorum requirit, & in Lucullo ita loquitur. Dormientium & uinolentorum & furiosorum uisa imbecilliora esse dicebas, quàm uigilantium, siccorum, sanorum. sed imperito librario, senibus & sanis, imposuit.*

Si quando enim nos demersimus.] *Sic legit liber meus, & quidam alij. prius erat, demisimus.*

Cum ouum inspexerant.] *Idem ille liber meus,*

meus. in Nonio dictione Gallina, sic habet. Cicero Acad. lib. III. Qui gallinas alere permultas quæstus caussa solerent. Idem lib. II. cum ouum inspexerant, quæ id gallina peperisset, dicere solebant. Ex quo, si locus est coniecturæ, ita existimarem, prius illud ex lib. 3. fragmentum, esse inter ea, quæ sunt ex lib. 3. reponendum: hoc autem, quod est ex secundo, eradendum prorsus, & delendum. fortassis enim eum secundum nominat, qui fuit prioris editionis secundus, Lucullus uidelicet, qui nũc extat, atque adeo hoc istud fragmentum continet: sicut ipse etiam adnotauit Sigonius.

Quis non cum miserrimum.] *Sic emendaui, approbante Sigonio: quanquam in omnibus, quos uidi, libris eum miserrimum. Paulo autem superius quoque pro, in facinorosis, legerem, cum facinorosis. sic enim etiam lib. I. locutus est. Antipater digladietur cum Carneade. nisi si id sane sic dictum quis esse contendat, ut illud, haberi in magnis uiris, esse in clarissimis ciuibus, reponi in suis, pro inter magnos, inter clarissimos, inter suos. cum hæc scripsissem multo ante, Regis postea Nonium uidere mihi contigit, qui manifeste legit, cum facinorosis.*

Quod si liceret ut iis.] *In meo Lactantio, ex quo hoc fragmentum descriptum est, legitur,*

tur, ad eundem modum ad quem Sigonius reposuit, nisi quòd deerrauissent, pro deerrassent, & felicior pro facilior, extat repositum, sic: Quod si liceret ijs, qui in itinere deerrauissent, sic uitam deuiam secutos corrigere errorem pœnitendo, felicior esset emendatio temeritatis. correxi: Quod si liceret ut ijs, qui in itinere deerrauissent, sic uitam deuiam secutis &c. Vel, Quod si liceret, ut qui in itinere deerr. sic uit. deuiam secutos &c. uide Lactantium lib. VI. *cap.* XXIIII.

Academico sapienti.] *Ex eodem illo Augustini loco, ex quo se Sigonius reliqua attulisse significat, quanquam librarius quidem eius pro, Academico sapienti, scripsit per errorem, Academicos sapienti.*

Quasi libera turba temulentorum, quærentium tantum.] *Prius erat, quærentium tamen. sensus est. Epicurus conuocat de hortulis, suorum turbam quasi liberam, id autem est omnibus curis solutam, illud tantum quærentem, quem &c. Ibidem autem dixit, teste populo, pro eo quod alibi, secũdo populo.*

In quorum rixam si Academicus incurrerit.] *Prius incurrit: meus Augustinus, incurrerit.*

Et hac & illac aurem admouerit.] *Puto legendum, & huc & illuc.*

De

De re tanta deliberandum esse pronuntiat.] *Imitatio Terentij Phorm. Ego amplius deliberandum censeo, res magna est.*

Mos fuit Academicis.] *Augustinus contra Academicos sic habet. quisquis putat hoc sensisse Academicos, ipsum Ciceronem audiat: ait enim illis morem fuisse occultandi sententiam suam, nec eam cuiquam, nisi qui secum ad senectutem usque uixissent, aperire consueuisse. ut sane uideatur fragmentum esse ad talem aliquem modum conformandum, qualem expressimus. facile autem existimari potest fragmentum esse ex Academicis, id quod ipsa Augustini librorum inscriptio potest commonefacere: sin minus hinc sumptum est, at certe alicunde, & erit inter incerta reponendum.*

In ea, quæ ad librum de natura deorum pertinent.

FICTORQ. item cera.] *In fragmentis prioribus legebatur, fictorq. cera. quod mihi, cum alia etiam ex causa non satisfaceret, recurri ad exemplar Lactantij ipsum, quod legit, Fictorq. item cera. Equidem quod reperi reposui. sed si dicendum est quod sentio, aliquid præterea desidero. Omnino de ijs, qui cera*

ra fingere solebant, locus est apud eundem Ciceronem VI. *Verr.*

Non sunt ista.] *Ex Lactantio lib.* II. *cap.* III. *Etsi autem ibi librum, unde desumpserit, non nominat, tamen ex ijs, quæ scribit, facile libros de deorum natura conijcimus. sic enim habet. intelligebat Cicero, falsa esse, quæ homines adorarent. nam cum multa dixisset, quæ ad euersionem religionum ualerent, ait tamen non esse illa uulgo disputanda &c.*

In ea, quæ ad librum de diuinatione pertinent.

PRAETEREA similiter.] *Libros de diuinatione duos habemus, sed primum in extremo imperfectum. unde hoc esse fragmentum existimo, desumptum ex Diomede lib.* I. *ubi ait de uerbo Excello, quod etiam altero casu à quibusdam excelleo dicebatur. Esse autem conciliabulum, quo hic utitur Cicero, ex latinis uocabulis, demonstrat Festus lib.* III. *qui etiam illud interpretatur pro loco, ubi in concilium conuenitur.*

In ea, quæ ad libros de legibus.

DEORVM profecto uitam.] *Sic in meo Lactantio. ante, Deorum profecto uita.*

Ma-

Magnum audaxque.] *Assentior opinanti Sigonio, ex secundo de legibus hæc uerba excidisse. Etsi enim Atticus, cui adulatum Ciceronem scribit hæc uerba protulisse Lactãtius, non solum in libro de legibus, sed etiam in Tusculanis disserens inducitur, ut est apud Lactantium lib.* I. *cap.* XV. *tamen cum aperte significet Lactantius huic isti sententiæ etiam uerba illa adiecta fuisse, quæ extant manifeste* 2. *de legibus. Virtutes oportere non uitia consecrari; profecto perspicuum est, quid de his quoque, quæ antegressa fuerunt, sit nobis iudicandum: tum autem præterea, quòd concludens totum hunc locum Lactantius paulo post, ita scribit. itaque præclaram illam tuam legem derideo, quam ponis his uerbis. Ne illa, propter quæ datur homini ascensus in cœlum, mentem, uirtutem, pietatem, fidem, earumque laudum delubra sunto. Est enim hæc lex lib.* 2. *de legibus. Ex quibus omnibus, fit quoque & illud, ut si cui locum illum Ciceronis, in quo positam legem de Mentis, Pietatis, cæterorumq. similium deorum consecratione explicat, corrigere libeat deformatum hoc tempore & deprauatum, is hoc isto ex Lactantio prolato fragmento, non mediocriter possit adiuuari: præsertim cum significet, huic sententiæ adiunctum illud fuisse quod diximus de uirtutibus*

tutibus potius quàm uitijs consecrandis, quod in libris excusis hodieq. extat, eodē in loco illo.

Quoniam mors aut meliorem, quàm.] *Sic meus Lactantius. Et item, animo uigente: itemq. sensu carente: non ut erat: quoniam aut mors leuiorem, anima uigente, sensu carenti.*

Octo pœnarum genera.] *Sumptum ex Augustino lib.* XXI. *ciuit. Dei. cap.* II. *de quo uide etiam P. Crinitum lib.* XXV. *cap.* VIII.

In ea, quæ ad librum de Fato pertinent.

ACIPENSER, qui admodum raro capitur.] *De hoc uide Plin. lib.* IX. *cap.* 17.

In ea, quæ ad Timæum.

DEFENSTRIX.] *Ex Prisc. lib.* I. *partitionum uersuum principalium* XII. *Aeneid.*

ANDR. PATRICII IN TOMVM QVARTVM FRAGMENTORVM M. TVLLII CICERONIS SCHOLIA.

AD EOS *libros M. Ciceronis, quos superioribus tomis comprehensos diuina nobis potissimum Caroli Sigonij opera atque diligentia tanquam ab inferis reuocauit, fragmentaq. eorum, tanquam ex naufragio tabulas, accurate recollegit, non nullos præterea in extremum hunc tomum coniectos, fragmentisq. connotatos apponendos existimauimus: ut si quam Sigonij illa industria utilitatem attulerit hominibus studiosis, ea nostro quoque præsenti labore, post illum quidem, quem explendis quoque et explicandis superiorum librorum fragmentis suscepimus & absoluimus, plenior possit aliquantum & uberior apparere. Reseruauimus autem in hunc locum poemata potissimum: quorum tenuem quandam memoriam extare animaduertebamus inter cætera, quorum maiestati hæc ista concesserunt. equidem poemata Ciceronis hæc fuisse reperio.*

Pontius Glaucus.
Demetriaca.
Aratæa.
Alcyones.
Vxorius.
Nilus.
Limo.
Marius.
Prognostica.
De consulatu lib. III.
De suis temporibus lib. III.

De quibus quidem singulis tum loquemur, cum fragmenta exponemus. hic modo de illis quædam præfabimur, quorum fragmenta reperire nulla potuimus.

Scripserat igitur Pontium Glaucum, de quo poemate sic Plutarchus in eius uita. Adhuc puer cum esset, scripserat Pontium Glaucum, opus paruum, uersu tetrametro, quod etiamnum asseruatur. Sic Plutarchus. sed scripserat & Demetriaca quædam, & Vxorium, & Nilum. id quod ita esse, ex Iulio Capitolino colligitur, qui in Gordiano sic scribit. adolescens cum esset Gordianus, poemata scripsit, quæ omnia extant, & cuncta illa, quæ Cicero ex Demetrio, & Arato, & Alcyones, & Vxorium, & Nilum: quæ quidem ad hoc scripsit, ut Ciceronis poemata nimis antiqua

uiderentur. Hæc de ijs. cætera locis suis.

Quantus autem Cicero habitus fuerit poeta, ostendit Plutarchus, qui illum non solum oratorem, sed Rom. omnium poetam optimũ scribit fuisse iudicatum. Etsi enim ipse palmam in hoc genere Q. ipsi fratri tribuat, ad eum ita scribens lib. II. *in fine: Tibi uersus, quos rogas, γλαῦκα εἰς ἀθήνας, mittam. et lib.* III. *De uersibus, quos tibi à me scribi uis, deest mihi quidem opera, quæ non modo tempus, sed etiam animum uacuum ab omni cura desiderat: sed abest etiam ἐνθουσιασμός. non enim sumus omnino sine cura uenientis anni: etsi sumus sine timore. simul & illud (sine ulla mehercule ironia loquor) tibi istus generis in scribendo priores partes tribuo, quàm mihi. Et epistola sequente. Quod me de faciendis uersibus rogas, incredibile est mi frater, quàm egeam tempore. nec sane satis commoueor animo ad ea, quæ uis, cauenda. ὑποθέσεις uero, & ea quæ ipse ego ne cogitando quidem consequor, tu, qui omneis isto eloquendi, & exprimendi genere superasti, à me petis? Facerem tamen ut possem: sed (quod te minime fugit) opus est ad poema quadam animi alacritate, quam plane mihi tempora eripiunt. Hæc inquam etsi ita scribat, tamen facile quid ex rei ueritate, quid ex fraterni amoris abundantia quadam proficiscatur,*

ciſcatur, internoſci poteſt. Equidem ſi Q. in hoc genere tam præſtitiſſet, quàm præſtitiſſe eum uideri uult M. ipſe, non tam, ut opinor, anxie, nec tam ſolicite à fratre ea ſcribi poſtularet, quæ ſæpe poſtulat: ut ex libris epiſtolarum ad eum ſcriptarum poteſt intelligi. Omnino M. ipſius poema à Cæſare probari Q. ipſe ad eum ſcripſerat, ut eſt lib. II. *illarum epiſtolarum, epiſtola Ad* IIII. *non. quanquam magis ne id ob argumentum, an ob artem & compoſitionem, hoc tempore non diſputo. laudes enim profecto Cæſaris fuiſſe tum uidetur perſecutus. ſed non deſunt tamen, qui poemata &c. ipſius rideant. de quo nos quoque alibi loquemur.*

In Phænomena ex Arato.

CONSTAT, *inquit Craſſus apud Cic. lib. de orat.* I. *inter doctos, hominem ignarum aſtrologiæ ornatiſſimis atque optimis uerſibus Aratum de cœlo ſtellisq. dixiſſe. Cum igitur ſic de illius uerſibus, quemadmodum hic ſub Craſſi perſona declarauit, iudicaret M. Tullius, fecit non inuitus, ut in prima quaſi ætate ſua uerſus hos illius uerſibus ſuis latinis exprimeret, ad ſuam ſuorumq. hominum & utilitatem, & uoluptatem. quod totum ſic Lucilius Balbus ex-*

primit apud ipſum, lib. de natura deorum II. *Vtar, inquit, carminibus Arati, eis, quæ à te admodum adoleſcentulo conuerſa, ita me delectant, quia latina ſunt, ut multa, ex ijs memoria teneam. Et D. Hieron. Noſter, inquit, Tullius Platonis libros ad uerbum interpretatus eſt, & cum Aratum iam Romanum exametris uerſibus edidiſſet, in Xenophontis Oeconomico luſit. De Arati opere ita iudicauit Quintil. lib.* X. *capite primo. Arati materia, inquit, motu caret, ut in qua nulla uarietas, nullus affectus, nulla perſona, nulla cuiuſquam ſit oratio: ſufficit tamen operi, cui ſe parem credidit. Ob id non Cicero ipſe tantum, ſed etiam Vergilius, quem D. Auguſtinus optimum appellat poetarum, Aratum, in ijs, quæ ſunt extremo lib.* I. *Geor. de uentis, imbribus, & reliquis eiuſmodi, fuit imitatus. Et Cæſar ipſe Germanicus uidetur ſuum etiam Aratum uerſibus conſcripſiſſe, relatum omnino ex hoc iſto Græco. uerſus Germanici citantur plerique à Lactantio in diuinis inſtitutionibus. Omnino ipſius uerſibus ne Paulus quidem Tharſenſis noſter, maximus Dei maximi, & filij eius Ieſu Chriſti legatus, uti erubuit apud Areopagitas Athenis, act.* XVII. τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. *Plura de Arato, lege apud Suidam.*

Ab Ioue.] *Ex Cic. 11. de legibus. Ordine igi tur, inquit. nam huic tibi totum dicamus diē. M. Ab Ioue musarum primordia, sicut in Arati carmine orsi sumus. Est autem mendum in quibusdam libris, dicamus, diem maiore musarum primordio, Exprimit autem Græcum illud,* Ἐκ διὸς ἀρχώμεθα τὸν ὐδέποτ' ἄνδρες ἔωμεν ἄῤῥητον. *Ad quæ alludens Verg. Ab Ioue principium musæ.*

Malebant tenui.] *Græcum ad manum non habui. bonam enim earum adnotationum partem scripsi pestem urbis fugiens, & ruri cum humanissimo atque optimo uiro P. Miscouio tempus traducens. Cæterum uidetur poeta primam illam ætatem, rudem quidem ingenijs, sed illustrem probitate et uita innocenter acta, describere: qualem poetæ auream propterea appellant. Existimaui autem ad initium pertinere, quòd poeta à Ioue, ut habet fragmentum primum, exorsus, fortassis res ipsius gestas carmine fuerit persequutus, indeq. de aurea, argentea, & reliquis ætatibus egerit. Ex quo fit, ut uehementer etiam uerear, ne illud ex hoc eodem loco desumptum sit, quod extat apud Ciceronem ipsum lib. de nat. deorum 11: ex quo pleraque alia fragmēta in hunc librum Phænomenorum descripta sunt.*

Ferrea tū uero proles exorta repente est,

Au-

Ausaq. funestū prima est fabricarier ensē,
Et gustare manu uictū domitūq. iuuēcū.

quanquam uideo qui hæc ex alio quopiam poeta ueteri esse credat. Equidē huius de quo loquimur fragmenti meminit Lactan. lib. v. cap. v. Saturno, inquit, regnante, nec dissensiones erant, nec inimicitiæ, neque bella: neque ulli omnino gladij, qui nudarentur, fuerūt. Quis enim præsente ac uigente iustitia, aut de tutela sui, cum nemo insidiaretur, aut de pernicie alterius cogitaret, cum nemo quicquam concupisceret?

Malebant tenui contenti uiuere cultu.

ut Cicero in suo ait Arato, &c.

Et Iouis in regno.] *Hoc de Astrea dictum esse, satis idem iste Lactantius, qui fragmentum adducit, testatur. Postquam Saturnus, inquit, à filio pulsus, in Latiumq. delatus est,*

Deseruit propere terras iustissima uirgo.

Sed non, ut ait Cicero,

Et Iouis in reguo cœliq. in parte resedit.

Cætera labuntur.] *Hæc omnia ad illum usque locum, Exin contortis, sumpta sunt ex 11. nat. deorum. recitantur autem à Lucilio, ad exprimenda nomina inerrantium stellarum. Quorum omnium interpretatio et longior est, quàm ut hinc debeat, et ea tamen conditione, ut aliunde facile peti possit.*

Hac fidunt duce.] *Hunc uersum sic refert*

 Lu-

Lucullus apud Ciceronem II. *Acad. quæst.*
Qua fidunt duce nocturna Phœnices in alto.
Coniungendum autem esse cum superiori, patet ex eodem hoc isto loco, loquitur enim de Cynosura.

Nam cursu interiore.] *Ibidem* II. *Acad.*
- *Quæ cursu interiore. Sed ibi, ut seruiret orationi, hic uersuum ipsorum formam uidetur recitare.*

Toruus Draco.] *Huius uersus meminit etiam Prisc. lib.* XIII. *&* XIIII. *in fine. legit autem pro supra, supera, & retorquens, pro reuoluens.*

Id caput autem.] *Hoc uidetur extremum esse exametri: quanquam ita quidam scripserint, ut non poetæ narrantis, sed Lucilij connectentis poetam, uerba esse uiderentur. sic enim est in uulgatis libris.*

Id autem caput
Attingens defessa. & quæ sequ.

Atque oculos urget.] *Citat hunc uersum etiam Prisc. lib.* VII.
Nupam autem scorpium interpretatur.

Spicum illustre.] *Citat hunc uersum etiam Seruius in* I. *Georg. sed sic,*
Spicum illustre gerẽs insigni corpore uirgo.

Auriga.] *Hoc contra uidetur principium exametri; sed tamen in uulgo excusis sic ponitur, ut*

ut uideatur esse Lucilij.

At capra.] *Versus imperfectus, quod non adnotarem, nisi sensu etiam & uerbis, non modo numero, imperfectum iudicarem.*

Contra hœdi exiguum iaciunt.] *Quid si, Iaciens.*

Cuius sub pedibus.] *Hoc etiam manifeste principium est exametri, & tamen in excusis aliter collocatur.*

E quibus hinc subter.] *Hæc usque ad illum locum, Et terris uolucris, petita sunt, ex ijs fragmentis, quæ solent uulgo ad aliquos libros apponi Ciceronis; sed ita, ut tamen etiam quædam extent in lib. secundo de deorum natura; quæ singula notabimus.*

Pisces, quorum alter.] *Hic uersus cum sequenti etiam in* II. *de nat. deorum reperitur, nullo discrimine, nisi quòd pro, horrisonis, ibi legitur, horriferis.*

Quem summa.] *Hoc etiam in secundo libro de deorum natura.*

Paruas Vergilias.] *Etiam in secundo, sed sine, paruas. In eo autem uersu qui præcedit, genus in nominatiuo pro genu, utitur, sicut infra etiam aliquoties in nominattiuo & accusatiuo, certe in genitiuo eadem terminatione usurpasse illum in eodem hoc poemate, adnotauit Seruius in* III. *Aene.*

Inde fides.] *Et hoc, ſed pro conuexa, eſt connexa.*

Nanque eſt ales.] *Hoc quoque, ſed ſic, Inde eſt ales.*

Quam gelidum ualido.] *Etiam hoc cum quatuor ſequentibus, ſed legitur, Tum gelidam, in uerſu primo. In uerſu autem quarto, pro curſum, currum.*

Vt ſeſe oſtendens emergit.] *Etiam hoc cum ſequente, ſed ſic in primo, Vt ſeſe emergens oſtendat; & in ſecundo, pro flexum, plexum.*

Quam propter nitens.] *Et hoc, ſed, quem propter, uidelicet, quòd ibi refert ad Scorpiũ, hic ad Sagittam.*

At propter ſe.] *Et hoc, nullo diſcrimine, ſicut & illud, quod uerſu ab hinc ſextodecimo ſequitur, Exinde orion.*

Feruidus ille canis.] *Et hoc: ſed quod hic refulgens, ibi eſt, refulget.*

Curriculum nunquam.] *Et hoc cum ſequente uerſu, eſt in eodem illo: ſecundo libro: ſed in ſequenti uerſu pro prælabitur, prolabitur.*

Hanc aries.] *Item & hoc cum uerſu inſequente: ſed pro ſquamoſi corpore, habet, ſquamoſo corpore.*

Serpentem poteris proceraque.] *Et hoc, ſed tantum,*

aſpi-

aſpicies proceraq. &c.

In ſequenti uerſu pro, caudarum parte, caudarum à parte.

Inde Nepæ.] *Hic uerſus & ſequens ita refertur ibidem, nihilo immutato.*

Cedit equi partis.] *Et hoc cum ſequenti, omnibus integre conſeruatis.*

Hic ſeſe infernis de partibus.] *Hic uerſus etiam cum ſuperiore. ſed pro inferni de partibus, infernis è partibus, legitur.*

Iu medioq. ſinu.] *Quatuor uerſus ſeſe conſequentes etiam reperiuntur in eodem iſto II. de nat. deorum, nullo immutato, niſi pro extrema, extremam. rectius mea ſententia.*

Quinque pari ſpatio par triſtis eſſe relictas.] *Legendum & diſtinguendum, Quinque pari ſpatio, partis tris eſſe relictas.*

Hoc motu radiantis.] *De hoc ſic Cicero ipſe in libro de oratore. Nobis ne ſi cupiamus quidem, diſtrahere uoces conceditur. indicant orationes illæ ipſæ horridulæ Catonis, indicant omnes poetæ, præter eos, qui ut uerſum facerent, ſæpe hiabant, ut Næuius.*

Vos, qui accolitis Hiſtrum fluuium, atque Algidam.

et ibidem.

Quam nũquã nobis Graii atque barbari.

at Ennius ſæpe,

Scipio

Scipio inuictæ.

et quidem nos.

Hoc motu radiãtis Etesiæ in uada ponti.

sic Cicero. esse autem uersum ex Arato, præter coniecturam meam, etiam nisi fallor, affirmat P. Victorius in suis uarijs lectionibus. sed liber ad manum non erat.

Sub pedibus.] *Hoc ex Prisciano libro sexto sumptum est.*

Tertia sub cauda.] *Ex eodem libro Prisciani.*

Nauibus assumptus.] *Hoc ex Prisciani libro septimo. Quid sint autem aplustra, sic docet Festus. Aplustra nauium sunt ornamenta: quæ quia erant amplius, quàm essent necessaria usui, etiam amplustra dicebantur. Legerem autem pene, sensum spectans, Nauibus absumptis. memini uero & Iuuenalem aplustrium sic facere mentionem Sat. x.*

Victæq. triremis
Aplustre, & sũmo tristis captiuus in arcu.
Humanis maiora bonis creduntur.

Huic supera.] *Ex eodem Prisciano lib. 14. in fine.*

Quem neque tempestas.] *Ex Prisc. lib. x. uidetur autem esse ex extremo phynomenorum.*

In Alcyones.

SCRIPSISSE *Ciceronem poema hac inscriptione, testatur Iulius Capitolinus in Gordiano, cuius uerba superius recitauimus. Cum enim uellet, inquit, Gordianus Imp. peruetera uideri Ciceronis poemata, scripsit & ipse quoque ijsdem inscriptionibus aliquot, inter quæ Alcyones fuerunt.*

Alcyon genuit.] *Desumptum ex Non. dict. Præuius: incertum tamen ex quo poemate. ego huc retuli, primo ipso nomine admonitus.*

In Limonem.

FVISSE *usitatam apud Græcos Limonis inscriptionem in libris, testatur uel Plinius in præfatione suæ historiæ plane, sicut illas quoque, πανδέκται, ἐγχειρίδιον, κινακίδιον, διατρίβαι, & quas ibidem Plinius, & Gell. lib. 11. cap. ultimo commemorat. Fuisse etiam Ciceronis quoque Limonem, fragmentum ipsum indicio est, quod Donatus recitat in uita Terentij: cuius quidem uerbis laudatur Terentius.*

In Marium.

De *Mario plena est omnis Rom. historia, Plutarchus etiam ipsius est uitam diligenter persecutus. Ciceroq. adeo ipse, ne Arpinati suo suæ quoque uocis suorumq. scriptorum deesset testimonium, scripsit uersibus hunc istum librum, quem Marium appellauit, quòd in eo municipis sui Marij res gestas fuerit persecutus, ut hac ratione & uiro quidem laudatissimo debitum suæ uirtutis redderet testimonium, & Arpinum quoque germanam suam patriam uersibus celebraret. De quo sic scriptum extat lib. I. de legibus. Lucus quidem ille, & hæc Arpinatium quercus agnoscitur sæpe à me lectus in Mario. Et mox. Q. sit ita sane. ueruntamen, dum latinæ loquentur literæ, quercus huic loco non deerit, quæ Mariana dicatur, eaque, ut ait Scæuola de fratris mei Mario,*

Canescit sæclis innumeralibus.

Ex quo etiam apparet poema hoc in adolescentia etiam tum Ciceronem conscripsisse, cum uidelicet adhuc apud hunc Scæuolam iuri ciuili operam daret, ut in scholijs in lib. de iure ciuili diximus.

Et item. A. Hoc iam non ex te Quinte quæro, sed ex ipso poeta, tui ne uersus hanc quercum seue

seuerint, an ita factum de Mario, ut scribis, acceperis. M. Respondebo tibi equidem, sed non ante, quàm tu ipse mihi responderis Attice, certo ne (sic enim lego) non longe à tuis ædibus inambulans, post excessum suum Romulus Proculo Iulio dixerit, se deum esse etc. De hoc eodem libro sic lib. XII. epistolarum ad Atticum. Heri quidam urbani, ut uidebantur, ad me mandata & literas attulerunt à C. Mario C. F. eum multis uerbis agere mecum, per cognationem, quæ mihi secum esset, per eum Marium quem scripsissem, per eloquentiam L. Crassi aui sui, ut se defenderem.

Nuntia fulua Iouis.] *Ex lib. I. de legibus desumptum. quare glandifera, iuquit Quintus, illa quercus ex, qua olim euolauit Nuntia fulua Iouis miranda uisa figura, Nunc sit hæc. sed cum eam tempestas uetustas ue consumpserit, tum erit his in locis, quam Marianam quercum uocent. Etsi enim nec librum Quintus, nec poetam illic nominet, de quo uersum recitat, tamen, cum quercum Marianam nominet, satis, ut opinor, indicat, de Mario hæc sumpta esse.*

Hic Iouis altisoni.] *Hoc ex lib. I. de diuin. quid illo, inquit Q. ad M. fratrem, auspicio diuinius, quod apud te in Mario est, ut utar potissimum te auctore? Hic Iouis altisoni etc.*

Descri-

Describit autem his uersibus augurium, uel quod Mario, cum adolescens adhuc nidum Aquilæ cum septem pullis reperit, factum est, ut tradat Plut. uel potius, quod ipse deinde urbe pulsus, in quercu fortasse notarat. unde, quod hic generaliter, arboris in trunco, ait, libro de legibus initio, quercui Marianæ uidetur tribuere.

Præpetibus pennis.] *Festus, Gellius, Macrobius.*

Sinistris.] *In auspicijs sinistra dicuntur à sinendo. Festus, Plutarchus, cæteri. Cicero 2. diuin. Haud ignoro, quæ bona sint, sinistra nos dicere, etiam si sint dextra.*

In prognostica.

PRAETER *ea, quæ ex Arato conuerterat, ut diximus, Cicero scripsit etiam prognostica, simili fere argumento, similiq. tractatione opus, usque adeo, ut illa etiam lib. II. de diuinat. Aratæa appellare uideatur. quo quidem in opere, rerum quasdam præsensiones complexus uidetur fuisse, uti apud ipsum scriptum extat lib. I. de diuin. quem locum paulo post recitabimus. uidetur autem illa Afranio & Metello coss. confecisse, uti ex epistola prima lib. II. ad Att. constare potest, quæ ijs*

ijs coss. profecto scripta est. Prognostica, inquit, mea cum oratiunculis propediem expecta.

Atque etiam uentos.] *Sumpta omnia ex libro I. de diuin. quo quidem in loco Q. frater, cum genera diuinandi, in illud quod artis, & in id quod naturæ est, diuisisset, eorumq. omnium euenta magis quàm causas quæri oportere dixisset, medicorumq. obseruationes ad id comprobandum attulisset, Age ea, inquit, quæ quanquam ex alio genere sunt, tamen diuinationi sunt similiora, uideamus.*

Atque etiam uentos, & q. s.

et addit, Atque his, inquit, rerum præsensionibus prognostica tua referta sunt. Quod autem rem ipsam attinet, scribit etiam Verg. I. Georg. in eandem istam sententiam:

Cōtinuo uētis surgētibus, aut freta ponti
Incipiūt agitata tumescere, & aridus altis
Mōtibus audiri fragor, aut resonātia lōge
Littora misceri, & nemorum increbescere murmur.

Cana fulix.] *Hoc est, quod idem etiam canit Verg.*

Iam sibi tum curuis male temperat unda carinis,
Quum medio celeres reuolant ex æquore mergi,

Cla-

Clamoremq. ferunt ad littora, quumq. marinæ
In ſicco ludunt fulicæ, notasq. paludes
Deſerit, atq; altã ſupra uolat ardea nubẽ.
Fuſcaque.] *Idem Verg.*
Tum cornix plena pluuiam uocat improba uoce,
Et ſola in ſicca ſecum ſpaciatur harena.
Vos quoque ſigna.] *Idem Verg.*
Et ueterẽ in limo ranæ cecinere querelã.
Ad hunc autem locum reſpexit proculdubio ipſe Cicero, cum ita ſcribit Att. lib. XV. *equidẽ etiam pluuias metuo, ſi prognoſtica noſtra uera ſunt. ranæ enim* ῥητορεύουσιν.
Mollipedesq. boues.] *Verg.*
Aut illum ſurgentem uallibus imis
Aeriæ fugere grues, aut bucula cœlum
Suſpiciẽs patulis captauit naribus auras.
Iam uero ſemper uiridis.] *De hoc loco ita Plinius lib.* XVIII. *cap.* XXV. *Eſt & alia, inquit, manifeſtior ratio mirabiliore naturæ prouidentia, in qua Ciceronis ſententiam ipſius uerbis ſignificabimus:*
Iam uero ſemper, & q. ſ.
Ex loco autem Plinij correxi in Cicerone id, quod ratio etiam ipſa pedum & numerorum requirere uidebatur. nam cum in Cicerone legeretur, Lentiſcus triplici ſolita grandeſcere fœ

tu

tu, repoſui ex Plinio, ſolita eſt.
Aſt autem tenui.] *Ex Priſc. lib.* XVIII: *&* XV. *in fine.*
Vt cum luna.] *Ex eodem lib.* X.
Caprigeni.] *Ex eodem lib.* VI. *initio.*

In libros de conſulatu.

LIBRORVM *de conſulatu inuenio tria genera Ciceronem confeciſſe. Primo orationem, de qua iam dixi, cum orationes explicarem, in illa quidem oratione, quæ contra concionem Q. Metelli inſcripta fuit: & ſi quid eſt, quod dicendum adhuc ſit, inferius dicetur. Secundum genus librorum de conſulatu, fuit Græcus commentarius, de quo lib.* I. *ad Att. Commentarium cõſulatus mei Græce compoſitum miſi ad te. Et epiſtola item ſequente. De meis ſcriptis miſi ad te Græce perfectum cõſulatum meum. eum librum L. Coſſinio dedi. puto te latinis meis delectari, huic autem Græco Græcum inuidere. alij ſi ſcripſerint, mittemus ad te, ſed mihi crede, ſimulatq. hoc noſtrum legerunt, neſcio quo pacto retardantur. Et epiſtola prima lib.* II. *ad eundem Att.* K*al. Iun. eunti mihi Antium, & gladiatores M. Metelli cupide relinquenti, uenit obuiam tuus puer. is mihi literas abs te, & commentarium conſulatus mei*

 Græce

Græce ſcriptum reddidit. in quo lætatus ſum, me aliquanto ante de iiſdem rebus Græce item ſcriptum librum L. Coſſinio ad te perferendum dediſſe. nam ſi ego tuum ante legiſſem, furatum me abs te diceres. quanquam illa tua (legi enim libenter) horridula mihi atque incompta uiſa ſunt: ſed tamen erant ornata hoc ipſo, quòd ornamenta neglexerant; et, ut mulieres, ideo bene olere, quia nihil olebant, uidebantur. meus autem liber totum Iſocratis μυροθήκιον, atque omnis eius diſcipulorum arculas, & non nihil etiam Ariſtotelica pigmenta conſumpſit: quem tu Corcyræ, ut mihi aliis literis ſignificas, ſtrictim attigiſti, poſt autem, ut arbitror, à Coſſinio accepiſti. quem tibi ego non eſſem auſus mittere, niſi eum lente ac faſtidioſe probauiſſem. quanquam ad me ſcripſit iam Rhodo Poſſidonius, ſe, noſtrum illud ὑπόμνημα cum legeret, quod ego ad eum, ut ornatius de iiſdem rebus ſcriberet, miſeram, non modo non excitatum eſſe ad ſcribendum, ſed etiam plane perterritum. Quid quæris? conturbaui Græcam nationem. ita uulgo, qui inſtabant, ut darem ſibi quod ornarent, iam exhibere mihi moleſtiam deſtiterunt. tu, ſi tibi placuerit liber, curabis ut & Athenis ſit, & in cæteris oppidis Græciæ. uidetur enim poſſe aliquid noſtris rebus lucis afferre. Tertium genus fuerunt libri

bri tres uerſibus conſcripti Latinis, in quorum altero Vrania loquebatur, in tertio Calliope: nam de primo nihil conſtat. de his libris ſic idem ipſe Cicero eodem illo, ex lib. I. epiſt. ad Att. loco adnotato. Latinum ſi perfecero, ad te mittam. Tertium poema expectato, ne quòd genus à me ipſo laudis meæ prætermittatur. Quẽ locum ego quidem, contra aliorum opinionem, ſic intelligo. Miſi ad te Græcum, mittam et Latinum, ſi perfecero. Statim autem ſignificat, quid ad perfectionem deſideretur. Tertium uidelicet poema expectato. id autem eſt, ut ego intelligo, tertium librum uerſibus conſcriptum, qui ſolum ad Latinum perficiendum deſideratur, cum duos iam confectos habeam. Quod autem mox inquit, ne quod genus laudis &c. ſic ſimpliciter accipio, quòd, cum duobus iam ſuperioribus libris, quos ſe confectos habere innuit, multa laudum ſuarum genera fuerit uerſibus perſecutus, nunc, ne quid ſit quod in hoc genere prætermiſiſſe uideatur; tertium ſe additurum librum pollicetur. Tertium igitur genus librorum de conſulatu fuit poema tribus libris, ut dixi, conſtans. Quartum genus, ſi cui addendum uidebitur, illud forte addendum eſſe uideri poterit, de quo ſic ad Luceium ipſe Cicero li. v. fam. Cum enim ſatis illum adhortatus fuiſſet ad conſulatum ſuum ſcriptis illuſtrandum,

subiungit. Si suscipis causam, inquit, conficiam commentarios rerum omnium. quos sane illum etiam confecisse, indicio potest esse locus quidam ex lib. IIII. *ad Atticum. ubi Cicero sic scribit. Tu Luceio, inquit, nostro librum dabis. ualde enim procliue est de illis commẽtarijs intelligere, quos se Luceio confecturum pollicebatur per epistolam: præsertim cum eius etiã epistolæ paulo ante, scribens ad eundem Atticum, meminerit, Epistolam, inquit, Luceio quã misi, qua, res meas ut scribat, rogo, fac ut ab eo sumas, ualde bella est, eumq́. ut approperet adhorteris, & quòd mihi ita se facturum rescripsit, agas gratias. Equidem poemate de consulatu, Afranio & Metello coss. suprema uidetur manus fuisse imposita. nam in ea epistola, quæ est tertia, lib.* II. *ad Att. perscripta illis coss. uersus iam tum ex libro* III. *eius poematis ita recitantur, ac si non modo iam perfecti, sed etiam Attico essent notissimi. Hunc autem istum commentarium, quem in quarto genere librorum de consulatu constituo, Marcellino et Philippo demum coss. scribere est aggressus: sicut non difficulter posset demonstrari, si quis modo tempus datæ illius ad Luceium epistolæ considerauerit. Omnino in hunc istum commentarium ea uidentur fuisse coniecta, quæ Luceius ipse deinde in historia exprimere & imita-*

ri deberet. Consulatum enim Ciceronis à multis fuisse celebratum magnopere constat, sicut de Attico ex epistola I. *lib.* II. *epistolarum ad ipsum, et ex Cornelio Nepote in ipsius uita: de Archia ex oratione pro ipso: de Sallustio, ex ipsius historia: de plerisque etiam alijs, aliunde. Nec mirum id sane uideri debet. Erat enim consulatus Ciceronis uere, ut Curio dicere erat solitus,* ἀποθέωσις *quædam, cuius rebus gestis Cicero memoriam sui nominis ad immortalitatis & sanctitatis opinionem consecrarat. Eum Terentiæ uxori diuinis etiam prodigijs præmonstratum fuisse constat ex Seruio, qui, dum illud Virg. eglog.* VIII. *interpretatur,*

Aspice corripuit tremulis altaria flãmis
Sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse,

Ait poetam ad illud respexisse, quod de se ipso in poemate Cicero testatus fuerat, Terentiæ, dum post sacrificium libare uellet, uisam flammam in cinere, quæ res maritum ipsius eo anno futurum consulem designabat. Quod eò etiam admonui libentius, ut primi etiam libri fragmẽtum aliquod, uel certe fragmenti loco aliquid habere possimus. nam ego id sane, quod narrat Seruius, ad primum librum existimo pertinere: quanquam Plutarchus de hoc isto aliter disserat. Prætermissum autem fuisse in ijs libris, quemadmodum Cæsar, obiectu togæ Curionis,

seruatus esset ab impressione eorum, qui Ciceronem domum è senatu, post latam sententiam in coniuratos, deducebant, ostendit Plut. in uita Cæsaris.

Principio ætherio.] *Desumptum ex lib. I. de diuin. ubi sic Q. fr. Quid de fulgurum ui, inquit, dubitare num possumus? non ne cũ multa alia mirabilia, tum illud in primis? cũ Summanus in fastigio Iouis opt. maximi, qui tum erat fictilis, cœlo ictus esset, nec usquam eius simulachri caput inueniretur, arupisces in Tiberim id depulsum esse dixerunt, idq́. inuentum est eo loco, qui est ab aruspicibus demonstratus. Sed quo potius utar aut auctore, aut teste, quàm te? cuius edidici etiam uersus, & libenten quidem, quos in secundo consulatu Vrania musa pronuntiat:*

Principio ætherio &c.

Sunt autem uersus, in quibus Cicero, uel potius Vrania Ciceroni, ea prodigia enumerare uidetur, quæ, Catilina petente consulatum, ipso cos. Cicerone dij immittere uidebantur, de quibus Plut. in uita Cic. & ipse Cicero or. III. Catil. Nam ut illa omittam, inquit, uisas nocturno tẽpore ab occidente faces, ardoremq. cœli, ut fulminum iactus, ut terræ motus, cæteraque, quæ tam multa nobis coss. facta sunt, ut hæc, quæ nunc fiunt, canere dij immortales uiderentur.

Et

Et quæ seq.

Tu quoque cum tumulos Albano in monte.] *Albanorum tumulorum meminit etiam in ea, quæ est pro Milone prope finem.*

Mactasti lacte Latinas.] *Solebant enim populi, qui Latinas ferias erant celebraturi, lac et alia secum in Albanum montem adferre, inde autem carnes petere, ut nos alio quodam loco ostendimus copiose.*

Nam pater altitonans.] *Hos uersus tres sequentes repetit etiam Lactantius lib. III. cap. XVII. sed medio nonnihil commutato. sic enim habet. Ipse suas arces atque inclyta templa petiuit. putat autem ijs uersibus Ciceronẽ alludere ad illud Lucretij, cum dicit de Deo:*

- Tum fulmina mittat, & ædes
Ipse suas disturbet.

Loquuntur enim uersus Ciceronis de icto fulmine Capitolio, qua de re tota est etiam illud in eadem illa oratione III. in Catil. Memoria, inquit, tenetis, Cotta & Torquato coss. complures in Capitolio turres de cœlo esse percussas, cũ & simulachra deorum immortalium depulsa sunt, & statuæ ueterum hominum deiectæ, & legum æra liquefacta. Tactus est etiam ille, qui hanc urbem condidit, Romulus, quem inauratum in Capitolio paruum, atque lactentem uberibus Lupinis inhiantem fuisse meministis. quo

A a 4 quidem

quidem tempore, cum aruspices & tota Hetruria conuenissent, cædes atque incendia, & legum interitum, et bellum ciuile ac domesticum, et totius urbis ac imperij occasum appropinquare dixerunt, nisi dij immortales omni ratione placati suo numine prope fata ipsa flexissent. Itaque illorum responsis tunc et ludi decem per dies facti sunt, neque res ulla, quæ ad placandum deos pertineret, prætermissa est, ijdemq. iusserunt simulacrum Iouis facere maius, & in excelso collocare, & contra atque ante fuerat, ad orientem conuertere, ac se sperare dixerunt, si illud signum, quod uidetis, solis ortum, & forum, curiamq. conspiceret, fore, ut ea consilia, quæ clam essent inita contra salutem urbis atque imperij, illustrarentur, ut à senatu populoq. R. perspici possent. atque illud ita collocandum consules illi statuerunt, sed tanta fuit operis tarditas, ut neque à superioribus consulibus, neque à nobis ante hodiernum diem collocaretur. Hæc Cicero. Vigebat autem tum quoque ijs coss. coniuratio, in qua Catilina quoque fuit, ut scribit Sallustius in Catil. Conflagrationis istius Capitolij meminit præterea Cicero VI. *Verr. Diuinitus, inquit, extitit illa flamma, non quæ deleret Iouis opt. max. templum, sed quæ præclarius magnificentiusque deposceret.*

Omnes

Omnes ciuili generosam.] *Lego generosa, quanquam præterea de mendo uidendum.*

Ac clades patriæ.] *De detecta coniuratione loquitur. quæ historia est notissima.*

Atque animo pendens.] *Nonius Marcellus, uerbi, euentus, diuersa genera declarans, hunc etiam uersum adfert, ex secundo, ut ipse citat, libro consulatus. Pertinere uidetur, aut ad illam solicitudinem, cum uereretur Cicero, ne à C. Cornelio & Cethego occideretur domi, simulantibus salutationem: aut cum detecta iā per Allobroges coniuratione, & coniuratis plerisque comprehensis, secum agitaret, quid ijs facturus esset.*

Interea cursus.] *Ex Cicerone lib. ad Att.* II. *desumptum. Sic scribit Cicero, hic sunt hæc: coniunctio mihi summa cum Pompeio, si placet, etiam cum Cæsare, reditus in gratiam cū inimicis, pax cum multitudine, senectutis otium. sed me* κατάκρισις *mea illa commonet, quæ est in libro* III.

Interea cursus, &c.

Et mox, Hæc mihi cum in eo libro, in quo multa sunt scripta ἀριστοκρατικῶς, *Calliope ipsa præscripserit, non opinor esse dubitandum, quin semper nobis uideatur.*

εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης:

Hæc de ijs uersibus. Si quis est autem, qui ad

eos

eos quoque de consulatu libros, fragmentum, quod superius in or. de suo consulatu retulimus, existimet pertinere, cum hoc non uehementer pugnabimus, illud unum admonebimus, quod ne ipsum quidem ualde necesse est, uitiata esse fragmenti uerba, cum sic, ut sunt, sub leges exametri cadere non possint. Quanquam etiam, si ad orationem referas, uix integrum locum esse, & à labe immunem, posses obtinere. sic enim habet,

Quorum luxuries fortunata cēsa peperit.

In librum de suis temporibus.

De *hoc libro sic scribit ipse ad P. Lentulum Ciliciæ proconsulem. Scripsi etiam uersibus tres libros de temporibus meis: quos iampridē ad te misissem, si esse edendos putassem. sunt enim testes, et erunt sempiterni meritorum tuorum erga me, meæq. in te pietatis. Quid autem complexus eo fuerit, inscriptio ipsam indicat, ut in re nota disertum uelle uideri minime necesse sit. Sed quemadmodum quidē in libro de Consilijs suis fecimus, ut hunc istum de suis temporibus librum, ab illo differre ostenderemus, apertis ipsis signis atque indicijs, ita hic quoque discrimen aliquod demonstremus, inter hoc istud et illud de suo Consultatu, quod proxime præcessit,*

cessit opus, quod sane huic & genere scribendi, & materia, & librorum numero, et plerisque alijs rebus persimile uideri potest. Sit igitur positum, quod confirmatum iam fuit, libros de Consulatu Afranio et Metello coss. perfectos fuisse. Inde enim constabit planissime, libros de suis temporibus diuersos ab illis extitisse. Sic enim scribit de ijs Cicero ad Lentulum. Quòd rogas ut mea tibi scripta mittam, quæ post discessum tuum scripserim, sunt orationes quædā, quas Menocrito dabo, &c. Scripsi etiam Aristotelico more tres libros in disputatione ac dialogo de oratore &c. Scripsi etiam uersibus tres libros de temporibus meis, & q. s. atqui Lentulus post Afranij & Metelli consulatum anno demum quarto in Ciliciam profectus fuit. Constat igitur, quod uolumus, libros de consulatu, cum multo ante perfecti fuerint, quàm libri de temporibus inchoati, manifestissime ab ijs diuersos esse atque differentes. Illud fortassis etiam obsignatione dignum, quòd etsi, Vallam secuti, fragmenta quædam in hunc librum contulerimus, tamen fit nescio quomodo, ut dubitare uideamur ad hunc ne librum reuera pertineant. Cum enim alterius eius fragmenti in oratione in Pisonem fiat mentio, quam esse Cn. Pompeio Magno II. M. Crasso II. coss. habitam uult Pædianus, hos autem libros Cicero in epistola

ad

ad Lentulum, quæ sequenti anno, etiã sub extremum L. Domitij, & Appij Claudij consulatus, scripta fuit, editos nondum fuisse testatur, fit, ut alterum horum necessario suspicer, aut Asconium in tempore orationi Pisonianæ designando aberrasse, Fenestellamq. potius audiendum esse, qui eam anno posteriori ultimam habitam esse scribit: aut uero Vallam ipsum falsum esse, qui hæc ista fragmenta, de quibus loquimur, ex ijs libris desumpta fuisse profitetur. De quo alias considerabimus. In ijs ijsdem profecto libris extitisse scribit idẽ Valla, illud quod sine libri nomine Ciceroni tribuit Quintilianus lib. II. cap. I. & quod reprehensum fuisse & derisum scribit à nonnullis, à Ioue se in concilium deorum aduocatum, à Minerua omnes artes edoctum fuisse, quæ sibi, ut inquit idẽ Quintilianus, Cicero, secutus quædam Græcorum exempla, permiserat. De qua re etiam uideo fieri mentionem in ea, quæ Sallustio in Ciceronem tribuitur oratio.

Cedant arma togæ.] *Eius uersus mentio est, ut iam dixi, in ea in Pisonem. ubi multis uerbis respondet ad eius uersus inuidiam. habet autem ibi pro linguæ, laudi. Concedat laurea laudi. Respondet item pro eodem uersu in II. Philip. sed eius initium tantum recitat. Libro certe primo de officijs ita scribit ad filium. Illud autem optimum est, in quo me inuadi solere ab inuidis & improbis audio. Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ. ut enim alios omittam, nobis rempub. gubernantibus non ne togæ arma cessere? Sallustius, si modo est Sallustius, in Ciceronem sic. Etiam ne aures nostras onerabis tuo odio? etiam ne molestissimis uerbis insectabere? cedant arma togæ, concedat laurea linguæ. Quasi uero togatus, & non armatus ea quæ gloriaris confeceris. cui Tullius ipse, si modo etiam est Tullius. An ego tunc falso scripsi, Cedant arma togæ, qui togatus armatos & pace bellum oppressi? Vide etiam Quint. lib. II. cap. I. et Seruium in I. Aen. Eodem autem respexisse etiam uidetur Plin. lib. VII. cap. 30. dum ita affatur Ciceronem. Salue primus omnium parens patriæ appellate, primus in toga triumphum, linguæq. lauream merite, & facundiæ Latiarumq. literarũ parens etc. et Cassius ad ipsum Cicer. XII. fam. Est enim tua toga omnium armis felicior. Hæc de sententia uersus. cæterum unde ipse desumptus sit, tantum habeo dicere, quæ de Valla superius adnotaui.*

O fortunatam.] *Citat hunc uersum Diomedes lib. II. sed suppresso Ciceronis nomine. Meminit & idem ille, quisquis tamen est, qui se Sallustium profitetur, in ea in Ciceronem. Atque is, in-*

inquit, cũ eiusmodi sit, tum audet dicere, O fortunatam natam me cos. Romam Te cos. fortunatam Cicero, immo uero infelicem & miserã, quæ crudelissimam &c. Meminit et Quintilianus lib. eodem 2. cap. 1. & supra lib. 9. cap. 4. De hoc Iuuenalis ad hunc modum Sat. 10.

Ingenio manus est & ceruix cæsa, nec unquam
Sãguine causidici maduerũt rostra pusilli.
O fortunatã natam me consule Romam.
Antoni gladios potuit contemnere, si sic
Omnia dixisset. Ridenda poemata malo
Quã te cõspicuæ diuina Philippica famæ,
Volueris à prima quæ proxima, &c.

Ergo Ciceronis uersum dubitari nõ potest. quo autem ex libro ita in ora hominũ uenerit, quicquid habuimus, quod dici possit, exposuimus. Quod autem hunc uersum Iuuen. inter ridicula poemata commemorat, arbitror ad eundẽ quoque Senecam respexisse, qui lib. III. de ira sic scribit. Non æquis quendam oculis uidisti, quia de ingenio tuo male locutus est. Recipis hanc legem? Ergo te Ennius, quo non delectaris odisset, & Hortensius simultates tibi indiceret, & Cicero, si derideres carmina eius, inimicus esset. Omnino enim idem scribit lib. III. declam. Ciceronem, inquit, eloquentia sua in carminibus destituit.

In

In libellum iocularem.

PRAETER *eos libros, quos superius poeticos Ciceronis nominauimus, uidetur etiam scripsisse libellum nescio quem iocularem, de quo tantum habeo dicere, quantum infra in ipsius fragmenti patebit explicatione. Certe huc Lactantium allusisse arbitror, cũ lib. III. cap. XIIII. sic scribit ad Ciceronem sermone conuerso. Idẽ, inquit, in consolatione, id est in opere non ioculari, hanc de philosophia sententiam tulisti &c. Equidem, uersibus ne hic liber cõscriptus totus fuerit, uix habeo ut affirmem.*

Fundum Varro.] *De hoc sic Quintilianus lib. VIII. cap. ultimo. cum hyperboles eam partẽ, quæ ad augendam orationem pertinet, exposuisset. Nec pauciora sunt, inquit, genera minuendi.*

Vix ossibus hærent.

Et quod Cicero in quodam ioculari libello.

Fundum Varro uocat, quem possim mittere funda:
Ni tamẽ exciderit, qua caua funda patet.

Sensus est. quanquam modicus etiam locus fundus dici potest, cum fundum non magnitudo ipsa faciat, sed domini affectio, & designatio, tamen Varronis cuiusdam designatio ridicula potest

test uideri, qui tam exiguis finibus fundum definiuit ac designauit, ut totus quantus est, funda mitti possit, immo ut propter paruitatem uix in cauitate fundæ hærere possit. Quod dixi de fundorum designatione, repetitum est ex Vlpiano l. locus, ff. uerborum significationibus. alibi tamen legitur, quo possim mittere funda: & item, ni lapis exciderit. Hæc de libello ioculari. uidetur etiam scripsisse epigrammata quædam. certe Plin. epistolarum lib. VII. *meminit epigrammatis cuiusdam in Tironem, cuius sententiam quoque ibidem uersibus suis recitat eiusmodi, de Cicerone loquens.*

Nam queritur, quod fraude mala frustratus amantem
Paucula cœnato sibi debita suauia Tyro
Tempore nocturno subtraxerit.

In incerta.

E S S E *hæc quidem Ciceronis, tam certum est, quàm quod maxime: cæterum quo pertineant, & ad quem Ciceronis libros referantur, cum diuinare nec ualde promptum, nec nimis etiam tutum esset, omnia sub incertorum inscriptione cōprehendere libuit. Verum quoniam nonnulla sustulimus ex hoc loco, quæ huc erant per Sigonij librarios coniecta, ut ego existimo, importune,*

tune, ne sit, quod in nobis desiderari possit, & ipsa quidem hoc in loco nobis referenda, & simul causa reddenda fuit propositi institutiq. nostri. Legebatur primum fragmentum eiusmodi.

Vt corpora nostra sine mente, ita ciuitas sine lege suis partibus, ut neruis, ac sanguine, et membris uti non potest.

Hoc cum extet in ea pro Cluentio, delendum esse duximus. Legebatur deinde.

Vt remiges sine gubernatore, ita milites sine imperatore nihil ualent.

Id quod nos Quintiliani potius quàm Ciceronis esse iudicauimus. uide Quint. lib. V. *cap.* II.

Illud autem,

Profecto omnis istorum disputatio, quanquam uberrimos fontes uirtutis et scientiæ contineat, tamen collata cum horum actis, perfectisq. rebus uereor ne tantum uideatur attulisse negotiis hominum quandam oblectationem otii,

In Hortensio retulimus, mirifice enim cum illo argumento quadrare uidebatur. Erat & illud,

Vtrum melius sit, dii immortales sciunt, hominem autē arbitrer scire neminē.

Erat; sed & Sigonius in erratis admonuit delendum esse, & nos uidimus extare, lib. I. *Tusculanarum quæst. Deinde illud,*

Illius quippe scripta sunt auctoritate di-

 gnissi-

gnissima, qui nullum uerbũ non quod reuocare uellet, sed quod reuocare deberet, emisit.

Quod nos non tam Ciceronis, quàm Augustini alludentis ad Ciceronem esse indicandum; quod Augustini erat, induximus, quod Ciceronis, reposuimus. de quo etiam non nihil in scholijs in Catonem locuti fuimus. quod autem sequebatur,

Cicero scribit id esse optimum, quod cum te facile crediderís consequi imitatione, non possis.] Item: Nõ se id egisse, ut ita diceret, quo modo se quilibet posse confideret, sed quo modo nemo:

Id duobus quasi fragmentis constabat, quorum nos alterum erasimus: sensum enim magis, quàm uerba Ciceronis referebat: de quo uide Oratorẽ Ciceronis: alterum retinuimus. Erat & illud,

Verumq. est illud Ciceronis, qui ait, hominem naturæ obedientem homini nocere non posse.

Nos autem esse ulterius passi non sumus, cum extet aperte III. offic. Illudq. etiam,

Homines autem ingeniosi quid de hoc existimauerint, ex dicto Ciceronis apparet, qui ait, diuinitus extitisse illam flammam, non quæ terrestre illud domiciliũ Iouis deleret, sed quæ sublimius, magnificentius q. deposceret:

Ex

Ex his fragmentis erasimus. extat enim 6. Verr. Illaq. etiam,

Nemo iustus potest esse, qui mortem, qui dolorẽ, qui exilium, qui egestatẽ timet: Impetratum est à ratione, ut peccare suauitatis causa liceret:

Prorsus hinc sustulimus, suisq. locis reliquimus, alterum II. off. alterum in oratore. quanquam etiam non à ratione impetratum legitur, sed à consuetudine. Cætera libenter retinuimus, illisq. etiam alia addidimus, quæ nobis partim auctoritatibus uindicanda, partim scholijs illustranda sunt.

Aristoteles ueteres philosophos.] *Reposui, ut in Sigonij libro legebatur. nunc in Lactantio meo ita legitur lib. 3. cap. 28. Aristoteles ueteres philosophos accusans, ait eos aut stultissimos, aut gloriosissimos fuisse, & q. s. Esse mehercle uerba Ciceronis, indicat ibidẽ Lactãtius.*

Doctissimos habuit auctores, nec quid certi sit.] *Olim legebatur, doctissimos habuit amatores, ne quid certi sit. sed ego facile etiam sine libro, sic, ut reposui, legendum esse statuebam: in qua mea coniectura magis etiam ex libro meo Lactantij confirmor. is ita habet. Tullius, inquit, expositis horum omnium de immortalitate, ac morte sententijs, nescire se quid sit uerum, pronuntiauit. Harum, inquit, sententia-*

rum quæ uera sit, Deus aliquis uiderit. Et rursus alibi, Quoniam utraque, inquit, earum sententiarum doctissimos habuit auctores : nec quid certi sit, diuinari potest. In quo prius testimonium ex Cicerone quod adfert, est in Tusculana 1. *posterius alibi est, ut scribit Lactantius. me si quæris, ego, ubi sit, nescio.*

Recteq. Tullius.] *Reliqui, ut erat positũ. quanquam sic quidem manifeste est Lactantij. illa uero, Qui remp. gubernent, & quæ sequuntur, haud facile negauerim esse Ciceronis. quanquã, si rem ipsam attendas, dici sane potest omnia Lactantij esse. Tullium autem auctorem quòd citat, id ex* 1. *offic. peti posse, ubi expositis duobus quasi uitæ generibus, philosophico & ciuili, Neutrorum, inquit, omnino contemnenda est sententia: sed & facilior, & tutior, & minus alijs grauis aut molesta uita est otiosorum; fructuosior autem hominum generi, & ad claritatem amplitudinemq. aptior eorum, qui se ad Remp. & ad magnas res gerendas accommodauerunt.*

Eorum quippe opinioni.] *Etiam hoc sic reliqui, cum uideretur omnino aliter esse conformandum. non reperio autem in Augustino de uita beata, sed in lib.* 4. *contra Iulium Pelagianum. unde constat esse Ciceronis. Sensus fragmenti est, ut puto: Hominis fortis & sapientis,* uel

uel certe iam hominis, summum bonum differre manifeste ab ijs bonis, quæ non hominũ sunt, brutorum animantium propria, quæ uidelicet tota in perfusione illa dulci, &, quod uno uerbo dicimus, uoluptate sensuum sunt prorsus constituta. Quod totum contra Epicureorum opinionem dicitur: qui, ut scribit Cic. 1. *Academ. ad Varronem, simpliciter pecudis & hominis bonum idem esse censent. unde illa Sardanapali reprehensio v. Tusc. qui in busto ita incidi iusserat.*

Hæc habeo quæ edi, quæq; exsaturata libido
Hausit: at illa iacent multa, et præclara relicta.

Quid aliud, inquit Aristoteles, in bouis, non in regis sepulchro inscriberes? Et illa Milonis Crotoniatæ in de Senect. qui quum iam senex esset, athletasq. se in curriculo exercẽtes uideret, aspexisse lacertos suos dicitur, illachrymansq. dixisse, At hi quidem iam mortui sunt. non uero tã isti lacerti, inquit Cato, mortui sunt, quàm tu ipse mortuus es nugator. Neque enim ex te unquam es nobilitatus, sed ex lateribus et lacertis tuis. Omnino, nisi admodum fallor, fragmentũ hoc extare ad uerbum apud Ciceronem ipsum existimo, ijs quidem in libris, qui hodieq. extant: sed locus non succurrit. Similem tantum huic adferre possum hoc tempore, illum, qui est v. Tusc. sub finem. Polyphemum Homerus, in-

inquit Cicero, cum immanem ferumq́. finxisset, cum ariete etiam colloquentem facit, eiusq́. laudare fortunas, quòd quà uellet ingredi posset, & quæ uellet attingeret. Recte hic quidem, inquit Cicero. nihilo enim erat ipse Cyclops, quàm aries ille, prudentior. Hæc ibi Cicero. Sed mea quidem sententia est alius, ut dixi, locus proprius de ipso Africani bono, quem quidem dum inuestigo, fragmentum loco moueri non cẽseo. alioqui uidendum an hoc istud fragmentum ex primo, aut 3. de finibus exciderit.

Nullum unquam uerbum.] *Cætera, ut iam dixi, ex hoc loco sustuli. Recte autẽ fecisse me, is profecto iudicabit, qui epistolam ipsam Augustini legerit, ex qua hoc sumptum est. Mirum autem, ni hæc dicantur de Catone et ad Catonem pertineant, sicut etiam in eo exponendo libro admonuimus.*

Etenim si nemo est.] *Ni ita aperte Lactantius fateretur, loco quidem à Sigonio assignato, uerba esse Ciceronis, existimarẽ ipsius esse Lactantij, cum allusione quadam ad id, quod est* III. *off. Quid interest, inquit Cicero, utrum ex homine se conuertat quis in belluam, an in hominis figura immanitatem gerat belluæ? Illud enim remotius est quodammodo, quod eodem illo libro paulo anto scribitur. ut membra, inquit, quędã amputantur, si & ipsa sanguine et tanquam*

quam spiritu carere cœperunt, & nocent reliquis partibus corporis: sic ista in figura hominis feritas & immanitas belluæ à communi tanquam humanitate corporis segreganda est. Cæterum Lactantius meus hoc loco, pro qui non mori, legit, quin emori.

Nihil esse, quod sit manibus.] *Non deleo, neque enim audeo. sed certe, cum hæc scribit Lactantius, ad illud quasi respicere uidetur, quod est in ea pro Marcello ad hunc modum. nihil est opere, aut manu factum, quod aliquando non conficiat et consumat uetustas. Quod etiam totidem uerbis citat idem iste Lact. lib. 6. c. 11.*

Hoc miror enim quororq́. hominem ita.] *Meus Quintilianus, quororq́. ,quẽquã hominẽ.*

Meliora unguenta.] *Hoc bis citatur à Plinio, primum ut citat etiam Sigonius, lib.* XVII. *cap.* V. *uerbis à Sigonio nihil discrepantibus: iterum lib.* XIII. *cap.* III. *sic. In M. Ciceronis monumentis inuenitur, unguenta gratiora esse, quæ terram, quàm quæ crocum sapiunt, quando etiam corruptissimo in genere magis tamen iuuat quædam ipsius uitij seueritas. Quibus ex uerbis Plinij, sententia quasi uerborum Ciceronis colligi potest, eodem ueluti spectans, quò etiam uulgare illud uerbum pertinet, quod Plautus usurpat in Mustellaria, Bene olet, quia nihil olet, & quod Varro in Menippea Bellaria,*

ria, inquit ea maxime sunt mellita, quæ mellita non sunt. uide Macr.lib. III. *Equidem, quid sit terram olere, exponit ipse Plinius lib. quem dixi* XVII. *cap.* V.

Illa tamen æqualitas.] *Id est perpetuus nec interruptus eiusdem felicitatis tenor. ita correxi, cum tamen et in Sigoniano, & in meo exẽplari, qualitas, legeretur. uidi enim profecto respicere debere sententiam ad particulam perpetim, uel, ut in meo est exemplari, perpetuo, quæ particula ibi paulo ante fuit antegressa. Hanc meam emendationem cum misissem ad Sigoniũ, rescripsit uir ingenuus se approbare; et quoniã inter reliquas meas emendationes, hanc istam reponendi locus tum nõ esset, inter erratorum typographicorũ emendationem collocauit.*

Quæ sequuntur fragmenta, omnia sunt reperta à nobis, à nobisq. huc reposita.

In libris de repub.] *Ex Plinio in præfatione, ubi ita scribit. Est benignum (ut arbitror) & plenum ingenui pudoris, fateri per quos profeceris, non ut plerique ex ijs, quos attigi, fecerunt. Scito enim conferentem me auctores, deprehendisse à iuratissimis & proximis ueteres transcriptos ad uerbum, neque nominatos, non illa Virgiliana uirtute ut certarent, non Ciceroniana simplicitate, qui in libris de rep. Platonis*

nis se comitem profitetur: in consolatione filiæ Crantorem, inquit, sequor: item Panætium de officijs. quæ uolumina eius ediscẽda, non modo in manibus habenda quotidie, nosti, & q. s. Etsi autem in libro de consolatione ostẽderimus, hoc istud fragmentum triplici membro consistens, singilatim posse dissecari, sic ut una pars ad lib. de rep. altera ad consolationem, tertia ad officia pertineat: tamen ut omnibus satisfieret, hic etiam integrum referre uoluimus.

Omnium pectora &c. Nullæ sunt occultiores.] *Vtrunque desumptum ex Augustino. is lib.* XIX. *cap.* V. *de ciuit. sic habet. Qui inter se, inquit, amiciores solent esse, quàm qui una etiam continẽtur domo? Et tamen quis inde securus est, cum tanta sæpe mala ex eorum occultis insidijs extiterint, tanto amariora, quanto pax dulcior fuit, quæ uera putata est, cum astutissime fingeretur. Propter quod omnium pectora sic attingit, ut cogat in gemitum: quod ait Tullius, Nullæ sunt occultiores insidiæ, quã hæ, quæ latent in simulatione officij, aut in aliquo necessitudinis nomine. Nam eum, qui palam est aduersarius, facile cauendo uitare possis. hoc uero occultum, intestinum, ac domesticum malum non solum existit, uerum etiam opprimit, antequam prospicere atque explorare potueris. Sic Augustinus. esse igitur hic quiddam*

dam Tullianum, idem ipse fatetur Augustinus. cæterum illud ne,

Omnium pectora sic attingit, ut cogat in gemitum;

An uero illud potius,

Nullæ sunt occultiores insidiæ, quàm quæ latent in simulatione officii, aut in aliquo necessitudinis nomine;

Dubium uideri potest. De qua re ego quidẽ sic iudico, si in Augustino uitij nihil est: de quo quidẽ uereor, uerbum ATTINGIT, *intuens, quod neque de pace, obstante sententia, neque de malis, grammatica acclamante, dici potest. illamq. præterea periodum considerans, Nullæ sunt occultiores: quæ duriter nescio quomodo superioribus adhæret. sed certe si, ut dicere cœperam, Augustini liber non est uitiatus, uerba illa, omnium pectora sic attingit &c. puto esse Ciceronis, ex libro quidẽ aliquo qui interijt. ut non immerito hic inter incerta, uideantur esse reponenda. sin autem in Augustino mendũ est, mihi profecto illius sententiæ uim intuenti, quæ est in 1. de officijs; Totius autẽ iniustitiæ nulla capitalior est, quàm eorũ qui tum cum maxime fallunt, id agunt ut uiri boni uideantur, omnia esse uidentur Augustini. hæc autem uerba, Nullæ sunt occultiores, &c. allusionem esse puto ad id quod ex Cicerone recitaui.*

Ar-

Arcera.] *De hoc fragmento sic Nonius, Arcera plaustrum est rusticum tectum undiq. quasi arca. Hoc uocabulũ, inquit idem, & apud Varronem et apud M. Tulliũ inuenitur. De Tulliano igitur libro cũ dubitarem, inter incerta reposui. Nam de Varrone illud scio, in lib. ipsius de lingua latina quarto inueniri. Vide de hoc ipso fragmento Gell. lib.* XX. *cap.* 1.

Existimaui.] *Ex Nonio de uaria significatione sermonum in dict. depono. Citat M. Tullium suppresso libro. lego autem ibi pro, honestissimas, honestissime has.*

Ferem.] *Ex Fortunatiani Rhetorica. uulgaria, inquit, illa uerba, quibus utitur uulgus. ut M. Tullius, & Seracum, & ferem dicere non dubitauit.*

Ad militiam euntibus.] *Ex Seruio in* V. *Aen. illud Custodem ad se comitemq. impubis Iuli.*

Cũ parcere, uel lædere.] *Ex Marcellino, lib.* XIX. *in fine. Imitandus sit Tullius, cum parcere, uel lædere potuisset, ut ipse affirmat, ignoscendi quærens causas, & q. s.*

Infelices esse.] *Ex eodem hoc isto Marcell. lib.* XXVI. *prope finẽ. Imperator enim, inquit, promptior ad nocendum, criminantibus patẽs, & funereas delationes adsciscens, per supplicorum diuersitates effrenatius exultauit, sententiæ illius Tullianæ ignarus, docentis infelices esse*

se

se eos, qui omnia sibi licere exiſtimarunt.

De plebeia fece.] *Ex August. contra Cresconium grammaticum lib.* II. *sub finem* [*aut lib.* XII.] *puto autem ſellularios, opifices eſſe à ſella dictos, in qua ſedendo quotidianum quæſtum exercerent. Cic.* IIII. *Catil. Nulli ſunt inuenti tam aut fortuna miſeri, aut uoluntate perditi, qui non ipſum illum ſellæ atque operis, & quæstus quotidiani locum, qui non cubile &c. ſaluum eſſe uelint. Sellulariorum nomine uſus eſt etiam Liuius lib.* VIII. *Opificium quoque uulgus, inquit, & ſellularij, minime militiæ idoneum genus, exciti dicuntur.*

Erythreo oppido.] *Etiam ex Marcellino lib.* XXXI. *Aſiæ nomen horrebat: ubi Erythreo oppido ſuperpoſitum montem Mimanta & Homerum ſcripſiſſe & Tullium, doctis referentibus, audiebat. de monte Mimante lege etiam Plin. lib.* V. *cap.* XXIX.

Qui fuit locus relig.] *Ex Diomede lib.* II. *ubi de paronomaſia.*

Lex dei præclara.] *Ex Lactantio lib.* VI. *cap.* XXIIII. *in fine.*

Atque adeo in pleriſque.] *Ex eodē Lactantio lib.* I. *cap.* XV. *Hæc Cicero, inquit, de natura deorum docet, dicens. ſuſcepit autem uita hominum, conſuetudoq́. communis, ut beneficijs excellētes uiros in cælum fama, ac uoluntate tolleret.*

leret. Hinc Hercules, hinc Caſtor, hinc Pollux, hinc Aeſculapius, hinc Liber. Et alio loco, atque alio in pleriſque ciuitatibus intelligi poteſt &c. Lego autem pro, atque alio, atque adeo. Locus haud ſcio an ad lib. III. *de rep. pertineat, ubi ſermo eſt de Romuli & aliorum conſecratione.*

Ructaretur.] *Ex Feſto & Paulo lib.* XVI. *Ructare, inquit Paulus, non ructari dicendum eſt. Flaccus: Videtis alios ructare & reſpuere pulcherrima ſuperbia. Cicero tamen, inquit, ructarent, dixit. Feſti liber hoc loco, & pleriſque alijs, ambuſtus eſt.*

Dic mihi quæſo.] *Ex Quintiliano lib.* V. *cap.* XI. *ubi tractat de ſimili. ſic enim ſcribit. In hoc genere, inquit, maxime quæritur, an ſimile ſit quod infertur, etiam in illis interrogationibus Socratis, quorum paulo ante feci mentionem, cauendum ne incaute reſpondeas: ut apud Aeſchinem Socraticum male reſpondit Aſpaſia Xenophontis uxor, quod Cicero his uerbis transfert. Dic mihi quæſo &c.*

REGISTRVM.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z Aa Bb.

Omnes ſunt quaterniones.

Errata.		Corrigenda.
In præfatione pro	Padneuo,	Padneuio,
ibidem,	Præmiſsienſi,	Præmiſlienſi
8. b. 13.	ad Taniculo ad ædem.	ab Ianiculo ad ædem.
9. b. 14.	ſubiectum?	ſublectum?
10. b. 19.	Sylla.	Syllæ
13. b. 12.	leniſsimæ.	leuiſsimæ
14. a. 2.	propter hoc.	præter hoc
14. b. 4.	rationes.	orationes
32. a. 5.	non modo integra.	delendum totum hoc fragmentum. neque enim Ciceronis, ſed Varronis eſt li. 1. de re ruſt.
38. b. 22.	flagitium ne alteri.	flagitium ue alteri
45. a. 24.	eludens.	elucens.
61. a. 9.	tulio.	talio
77. b. 15.	quaſi.	qualis
80. a. 16.	locuptatos.	locupletatos
89. a. 9.	peccere.	parcere
89. a. 17.	cuctodia.	cuſtodia
92. a. 10.	inſiqui.	inſigni
93. a. 26.	mihi ue tu.	mihi ne tu
119. b. 13.	uanauerit.	nauauerit
123. a. 16.	patientur.	patienter
126. a. 15.	typis.	lippis
127. a. 3.	θοικιτικὰ.	θοινητικὰ
127. a. ult.	ἰσχόμαψε.	ἰσχόμαχε
127. b. 4.	κεκτονικὸν.	τεκτονικὸν
ibidem.	κτᾶθαι.	κτᾶθαι
132. a. 21.	hic bis locus.	hic locus
134. b. 2.	equirum.	equitum
138. a. 2.	nnum.	unum
139. a. 8.	Eornicius.	Gornicius.
ibidem.	Vilnenſis.	Vilnenſis
144. b. ult.	acceſſit.	acceſsit
162. b. 24.	Oſcam.	Oſeam



W.M.

INTER OMNES

20

Ciampi

B, 1195